OFFICIA PROPRIA

DITIONIS COLUMBIANÆ

JUXTA KALENDARIUM

A S. R. C. REVISUM ET ADPROBATUM
DIE 6 FEBRUARII 1914

PARS HIEMALIS

TAURINI
SUMPTIBUS ET TYPIS EQ. PETRI MARIETTI
S. SEDIS APOST. ET S. RITUUM CONGR. TYPOGR.
Domus a. 1862 condita

MCMXIV

Approbatio.

Quum præsens Proprium Officiorum in usum Ditionis Columbianæ concordet cum textu originali rite revisum et adprobatum die 15 Septembris 1914, nihil obstat quominus Rmi Ordinarii ad quos spectat concedant: *Imprimatur;* juxta Decretum diei 3 Junii 1914.

Ex Secretaria Sacrorum Rituum Congregationis, die 15 Septembris 1914.

PH. Can. D AVA, Substitutus.

Imprimatur.

Bogotæ, die 11 Novembris 1914.

L. ✠ S.

† BERNARDUS

Archiepiscopus Bogoten.

Imprimatur.

Taurini, die 10 Decembris 1914.

† C. CASTRALE, Vic. Gen.

(14-XII-14-11)

KALENDARIUM PERPETUUM

IN USUM

DITIONIS COLUMBIANÆ

A SACRA RITUUM CONGREG. ADPROBATUM

DIEBUS 8 JAN. 1913 ET 6 FEBR. 1914

Omnia ut in Kalendario Ecclesiæ universalis, præter ea, quæ hic habentur propria:

November

26 S. Silvestri Abb., dupl. Com. S. Petri Alexandrini Ep. et Mart.

Bogotæ: Octava S. Elisabeth Vid., dupl. maj. Com. S. Silvestri Abb. (dupl.) et S. Petri Alexandrini Ep. et Mart.

Neo-Carthagenæ: Com. Oct. S. Catharinæ et S. Petri Alexandrini Ep. et Mart.

27

Neo-Carthagenæ: De III die infra Octavam S. Catharinæ Virg. et Mart. semidupl.

28

Neo-Carthagenæ: De IV die infra Octavam, semidupl.

29 Vigilia. Com. S. Saturnini Mart.

Neo-Carthagenæ: De V die infra Octavam, semidupl. Com. Vigiliæ et S. Saturnini Mart.

December

1

Neo-Carthagenæ: De VII die infra Octavam, semidupl.

2 S. Bibianæ Virg. et Mart., semidupl.

Neo-Carthagenæ: Octava S. Catharinæ Virg. et Mart., dupl. maj. Com. S. Bibianæ Virg. et Mart. (semidupl.).

4 S. Barbaræ Virg. et Mart., Patronæ minus princip., dupl. maj. Com. S. Petri Chrysologi Ep., Conf. et Eccl. Doct. (dupl.).
Medellii, Popayanæ, Antioquiæ, Manizales et Cali: Patronæ princip., dupl. I classis cum Octava communi. Com. S. Petri Chrysologi Ep., Conf. et Eccl. Doct. (dupl.).
5 Commemoratio S. Sabbæ Abb.
In Archidiœc. et Diœcesibus, ut supra: De II die infra Octavam, semidupl. Com. S. Sabbæ Abb.
6 S. Nicolai Ep. et Conf., dupl. Com. Feriæ.
In Archidiœc. et Diœcesibus, ut supra: Com. Oct. S. Barbaræ.
Antioquiæ: Anniversarium Dedicationis Ecclesiæ Cathedralis, dupl. I classis cum Octava communi. Com. S. Nicolai Ep. et Conf. (dupl.).
7 S. Ambrosii Ep., Conf. et Eccl. Doct., dupl. Com. Feriæ.
In Archidiœc. et Diœcesibus, ut supra: Com. Oct. S. Barbaræ.
Antioquiæ: Com. Octavarum S. Barbaræ et Dedicat.
8 Conceptio immaculata B. Mariæ Virg., dupl. I classis cum Octava communi (Patronæ principalis Americæ). Com. Feriæ.
9 De II die infra Octavam, semidupl.
In Archidiœc. et Diœcesibus, ut supra: Com. Oct. S. Barbaræ.
Antioquiæ: Com. Octavarum S. Barbaræ et Dedicat.
10 De III die infra Octavam, semidupl. Com. S. Melchiadis Papæ et Mart.
In Archidiœc. et Diœcesibus, ut supra: Com. Oct. S. Barbaræ et S. Melchiadis Papæ et Mart.
Antioquiæ: Com Octavarum et S. Melchiadis Papæ et Mart.
11 S. Damasi I Papæ et Conf., semidupl. Com. Oct.
In Archidiœc. et Diœcesibus, ut supra: Octava S. Barbaræ Virg. et Mart., dupl. maj. Com. S. Damasi I Papæ et Conf. (semidupl.) et Oct. immaculatæ Conceptionis. (*Antioquiæ:* additur Com. Oct. Dedic.)
12 B. M. V. de Guadalupe, Patronæ principalis Americæ, dupl. I classis cum Octava communi (de qua tamen fit tantum die 16 hujus).
13 S. Luciæ Virg. et Mart., dupl. Com. Oct. immac. Concept.
Antioquiæ: Octava Dedicationis Ecclesiæ Cathedralis, dupl. maj. Com. S. Luciæ Virg. et Mart. (dupl.) et Oct. immac. Concept.

1500

Januarius

20 Ss. Fabiani Papæ et Sebastiani Mm., dupl.
Neo-Carthagenæ (in Civitate): S. Sebastiani Mart., Patroni principalis, dupl. I classis cum Octava communi. Com. S. Fabiani Mart. (dupl.).
21 S. Agnetis Virg. et Mart., dupl.
Neo-Carthagenæ (in Civitate): Com. Oct.
22 Ss. Vincentii et Anastasii Mm., semidupl.
Neo-Carthagenæ (in Civitate): Com. Oct.
23 S. Raymundi de Peñafort Conf., semidupl. Com. S. Emerentianæ Virg. et Mart.
Neo-Carthagenæ (in Civitate): Com. Oct.
24 S. Timothei Ep. et Mart., dupl.
Neo-Carthagenæ (in Civitate): Com. Oct.
25 Conversio S. Pauli Ap., dupl. maj. Com. S. Petri Ap.
Neo-Carthagenæ (in Civitate): Com. Oct.
26 S. Polycarpi Ep. et Mart., dupl.
Neo-Carthagenæ (in Civitate): Com. Oct.
27 S. Joannis Chrysostomi Ep., Conf. et Eccl. Doct., dupl.
Neo-Carthagenæ (in Civitate): Octava S. Sebastiani Mart., dupl. maj. Com. S. Joannis Chrysostomi Ep., Conf. et Eccl. Doct. (dupl.).

Februarius

2 Purificatio B. Mariæ Virg., dupl. II classis.
Medellii (in Civitate): Patronæ principalis, dupl. I cl. cum Octava communi.
3 S. Blasii Ep. et Mart., simpl.
Medellii (in Civitate): De II die infra Octavam, semidupl. Com. S. Blasii Ep. et Mart.
4 S. Andreæ Corsini Ep. et Conf., dupl.
Medellii (in Civitate): Com. Oct. extra Quadrag.
5 S. Agathæ Virg. et Mart., dupl.
Medellii (in Civitate): Com. Oct. extra Quadrag.
6 S. Titi Ep. et Conf., dupl. Com. S. Dorotheæ Virg. et Mart.
Medellii (in Civitate): Com. Oct. (extra Quadrag.) et S. Dorotheæ Virg. et Mart.
7 S. Romualdi Abb., dupl.
Medellii (in Civitate): Com. Oct. extra Quadrag.

8 S. Joannis de Matha Conf., dupl.
Medellii (in Civitate): Com. Oct. extra Quadrag.
9 S. Cyrilli Ep. Alex., Conf. et Eccl. Doct., dupl. Com. S. Apolloniæ Virg. et Mart.
Medellii (in Civitate): Extra Quadrag. Octava Purificationis B. M. V., dupl. maj. Com. S. Cyrilli Ep. Alex., Conf. et Eccl. Doct. (dupl.) ac S. Apolloniæ Virg. et Mart.

ARCHIDIŒCESIUM ET DIŒCESIUM DITIONIS COLUMBIANÆ

Præsens Kalendarium, juxta Rubricas et Decreta novissima redactum, Sacra Rituum Congregatio, vigore facultatum sibi specialiter a Sanctissimo Domino nostro Pio Papa X tributarum, revisione rite peracta, recognovit ac probavit, illudque in cunctis Ditionis Columbianæ Archidiœcesibus et Diœcesibus adhiberi mandavit servatis de cetero Rubricis et Decretis, præsertim quoad Festa Dedicationis et Titularis Ecclesiarum nec non Patronorum cujusque loci. Contrariis non obstantibus quibuscumque.

Die 6 Februarii 1914.

(L. S.)

† PETRUS LA FONTAINE Ep. Charystien.
Secretarius.

OFFICIA PROPRIA
DITIONIS COLUMBIANÆ

—

Pars Hiemalis

—

Die 26 Novembris

Bogotæ:

In Octava
S. ELISABETH Viduæ
Duplex majus

In II Vesp. Ant. **Manum suam. ℣. Diffúsa.**

Oratio

Tuórum corda fidélium, Deus miserátor, illústra: et beátæ Elísabeth précibus gloriósis fac nos próspera mundi despícere; et cæléstì semper consolatióne gaudére. Per Dóminum nostrum.

Deinde Com. S. Silvestri Abb., ut in Breviario.

Neo-Carthagine:

Pro Com. S. Catharinæ Virg. et Mart.: Ant. **Veni, sponsa, ℣. Diffúsa.**

Oratio

Deus, qui dedísti legem Móysi in summitáte montis Sínai, et in eódem loco per sanctos Angelos tuos corpus beátæ Catharínæ Vírginis et Mártyris tuæ mirabíliter collocásti: præsta, quæsumus; ut ejus méritis et intercessióne, ad montem, qui Christus est, perveníre valeámus: Qui tecum.

Deinde Com. S. Silvestri Abb., ut in Breviario.

—⁂—

Die 27 Novembris

Neo-Carthagine:

In Laud. Domin. I Adv. fit Com. Octavæ S. Catharinæ: Ant. **Símile est, ℣. Diffúsa,** Oratio ut supra.

In II Vesp. Dom. I Adv. Com. seq. diei infra Oct.

Die 28 Novembris

Neo-Carthagine :

De IV die infra Oct. S. CATHARINÆ

Semiduplex

Ant. Veni, sponsa, ℣. Spécie, Oratio Deus, qui dedísti, ut supra.

In II Nocturno

Sermo sancti Ambrósii Epíscopi

L. 1 de Virg. ante med.

Lectio iv

Ego licet laudatiónem non suscéperim virginitátis, sed expressiónem; ad rem tamen pertinére árbitror, ut quæ sit ei pátria, quis auctor, appáreat. Ac prius ubi sit pátria, definiámus. Si enim ibi est pátria, ubi genitále domicílium; in cælo profécto est pátria castitátis: ítaque hic ádvena, ibi íncola est. Quid autem est cástitas virginális, nisi expers contagiónis intégritas? Atque ejus auctórem quem póssumus existimáre, nisi immaculátum Dei Fílium, cujus caro non vidit corruptiónem, divínitas non est expérta contagiónem?

℟. Propter veritátem, et mansuetúdinem, et justítiam: * Et dedúcet te mirabíliter déxtera tua. ℣. Spécie tua et pulchritúdine tua inténde, próspere procéde, et regna. - Et.

Lectio v

Vidéte ígitur, quanta virginitátis mérita sint. Christus ante vírginem, Christus ex vírgine; a Patre quidem natus ante sæcula, sed ex vírgine natus ob sæcula. Illud natúræ suæ, hoc nostræ utilitátis est. Illud erat semper, hoc esse vóluit. Spectáte áliud virginitátis méritum. Christus virgo vírginis sponsus, et si dici potest, Christus vírgineæ castitátis. Virgínitas enim Christi, non virginitátis est Christus. Virgo est ergo, quæ nupsit, virgo quæ nos suo útero portávit, virgo quæ génuit, virgo quæ próprio lacte nutrívit. Sed jam a matre descendámus ad fílias.

℟. Dilexísti justítiam, et odísti iniqui-

tátem: * Proptérea unxit te Deus, Deus tuus, óleo lætítiæ. ℣. Propter veritátem, et mansuetúdinem, et justítiam. - Proptérea.

Lectio vi

De virgínibus, inquit Apóstolus, præcéptum Dómini non hábeo, consílium autem do. Si Doctor géntium non hábuit, habére quis pótuit? Et præcéptum quidem non hábuit, sed hábuit exémplum: non enim imperári potest virgínitas, sed optári. Nam quæ supra nos sunt, in voto magis quam in magistério sunt. Sed volo vos, inquit, sine sollicitúdine esse: nam qui sine uxóre est, sollícitus est, quæ Dómini sunt, quómodo pláceat Deo. Et virgo cógitat, quæ Dómini sunt, ut sit sancta córpore et spíritu. Non ego quidem dissuádeo matrimónium, sed virginitátis attéxo benefícium.

℟. Afferéntur Regi vírgines post eam, próximæ ejus * Afferéntur tibi in lætítia et exsultatióne. ℣. Spécie tua et pulchritúdine tua inténde, próspere procéde, et regna. - Afferéntur tibi. - Glória Patri. - Afferéntur tibi.

In III Nocturno

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthæum

Lectio vii C. 25, 1-13

In illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis parábolam hanc: Símile erit regnum cælórum decem virgínibus, quæ accipiéntes lámpades suas, exiérunt óbviam sponso et sponsæ. Et réliqua.

Homilía sancti Hierónymi Presbyteri

Lib. 4 in Matth. c. 25

Hanc parábolam quidam simplíciter in virgínibus interpretántur; quarum áliæ, juxta Apóstolum, et córpore et mente sunt vírgines, áliæ virginitátem tantum córporum reservántes, vel cétera ópera non habent propósito suo símilia; vel paréntum custódia reservátæ, nihilóminus mente nupsérunt. Sed mihi vidétur ex superióribus álius sensus esse, qui dícitur; et non ad virginália córpora, sed ad

omne hóminum genus comparátio pertinére.

℟. Hæc est Virgo sápiens, quam Dóminus vigilántem invénit, quæ accéptis lampádibus sumpsit secum óleum: * Et veniénte Dómino, introívit cum eo ad núptias. ℣. Média nocte clamor factus est: Ecce sponsus venit, exíte óbviam ei. - Et.

Lectio viii Post pauca

Qui idcírco omnes vírgines appellántur, quia gloriántur in uníus Dei notítia, et mens eórum idololatríæ túrbine non constuprátur. Oleum habent Vírgines, quæ juxta fidem, et opéribus adornántur. Non habent óleum, quæ vidéntur símili quidem fide Dóminum confitéri, sed virtútum ópera négligunt. Póssumus quinque vírgines sapiéntes et stultas quinque sensus interpretári, quorum álii festínant ad cæléstia, et supérna desíderant: álii terrénis fæcibus inhiántes, foménta non habent veritátis, quibus sua corda illúminent.

℟. Média nocte clamor factus est: * Ecce sponsus venit, exíte óbviam ei. ℣. Prudéntes Vírgines, aptáte vestras lámpades. - Ecce. - Glória Patri. - Ecce.

Lectio ix

Dicámus áliquid, quod fórsitan lectóri útile sit. Tradítio Judæórum est, Christum média nocte ventúrum in similitúdinem Ægyptii témporis, quando Pascha celebrátum est, et exterminátor venit: unde reor, et traditiónem Apostólicam permansísse, ut in die Vigiliárum Paschæ ante noctis dimídium, pópulum dimíttere non líceat, exspectántes advéntum Christi: et postquam illud tempus transíerit, securitáte præsúmpta, festum cunctos ágere diem. Tunc surrexérunt omnes vírgines illæ. Quæ lámpades suas querúntur exstíngui, osténdunt eas ex parte lucére: et tamen non habent lumen indefíciens, nec ópera perpétua. Te Deum.

Et fit Com. Feriæ.

Die 29 Novembris

Neo-Carthagine:
De V die infra Oct.
S. CATHARINÆ

Semiduplex Oratio

Deus, qui dedísti legem Móysi in summitáte montis Sínai, et in eódem loco per sanctos Angelos tuos corpus beátæ Catharínæ Vírginis et Mártyris tuæ mirabíliter collocásti: præsta, quæsumus; ut ejus méritis et intercessióne, ad montem, qui Christus est, perveníre valeámus: Qui tecum.

Et fit Com. Feriæ.

Deinde S. Saturnini Mart.: Ant. Iste sanctus, ℣. Glória, Oratio Deus, qui nos, ut in Prop. Ss.

In II Nocturno

Sermo sancti Máximi Epíscopi

In Natali S. Agnetis

Lectio iv

Cum in toto mundo virgíneus flos Maríæ immarcescíbiles corónas innéctat, et sceptrígeram pudóris aulam immaculáto consérvet afféctu, eoúsque intégritas perseverávit ad palmam, ut in puéllis trophæum sanctitátis arríperet, et per vestígia matris vírginis ad cæléstem thálamum perveníret. O quam imitábile virgínibus, virgo Catharína, tui amóris tradidísti exémplum! o quam sanctum pectóribus dandum virgíneis tribuísti respónsum, contemnéndo mundi divítias, exsecrándo carnis concupiscéntias, et solam Christi pulchritúdinem adamándo! Accédite ad puéllam puéllæ, et díscite quales in péctore suo circa amórem Christi flammas accéndit. Díscite, vírgines Christi, amórem in ea fervéntem, et omnes mundi divítias velut stércora recusántem.

℟. Propter veritátem, et mansuetúdinem, et justítiam: * Et dedúcet te mirabíliter déxtera tua. ℣. Spécie tua et pulchritúdine tua inténde, próspere procéde, et regna. - Et.

Lectio v

Ideo enim sanctórum per litteras tradún-

tur exémpla, ut unusquísque pro qualitáte sexus modum sui propósiti téneat; et sicut per vírginem vírgines, ita per cónjugem cónjuges víncere sæculum pro Christi amóre stúdeant; ac repugnatióne ánimi mundi dúlcia recusántes, et ejus non recusántes austéra, ad delectatiónes perpétuas et ad gáudia ætérna pertíngant. Hæc dicéntes, non vituperámus cónjugum casta commércia, sed vírginum perseverántiam adornámus. Non enim virgínitas malis rebus superponénda est, sed est rebus óptimis præferénda. Quæ enim mundis múndior, et sanctis est sánctior, non índiget malárum rerum vituperatióne laudári.

℞. Dilexísti justítiam, et odísti iniquitátem: * Proptérea unxit te Deus, Deus tuus, óleo lætítiæ. ℣. Propter veritátem, et mansuetúdinem, et justítiam. - Proptérea.

Lectio vi

Veni jam, virgo, ad thálamum quem quæsísti, ut sponsam te virgínitas immaculáta cómprobet Christi. Felix catérva vírginum, quibus stúdium est tuæ sequi confessiónis vestígia. Habébunt enim tecum corónam in cælo, quæ tecum superavérunt inimícum in mundo. Nam sicut tibi vestígia prosequénti participátio ætérnæ remuneratiónis appáruit; ita eis te imitántibus ætérna crédimus gáudia non negánda. Itaque, o spléndida Christo Dei Fílio, et ómnibus Angelis atque Archángelis grata, ut nostri meminísse dignéris, quibus póssumus précibus exorámus; ut nobis ille tríbuat indulgéntiam, qui tibi tuórum ómnium labórum trádidit palmam.

℞. Afferéntur Regi vírgines post eam, próximæ ejus * Afferéntur tibi in lætítia et exsultatióne. ℣. Spécie tua et pulchritúdine tua inténde, próspere procéde, et regna. - Afferéntur tibi. - Glória Patri. - Afferéntur tibi.

In III Nocturno

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthæum

Lectio vii C. 25, 1-13

In illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis parábolam hanc: Símile erit regnum cælórum decem virgínibus, quæ accipiéntes lámpades suas, exiérunt óbviam sponso et sponsæ. Et réliqua.

Homilía sancti Joánnis Chrysóstomi

Homilia 79 in Matth. post init.

Quam ob causam in persóna vírginum hanc parábolam profert, nec qualemcúmque persónam sine discrímine súbjicit? Magna quædam de virginitáte disserúerat, dicens: Sunt eunúchi, qui seípsos castravérunt propter regnum cælórum: et, Qui potest cápere, cápiat. Nec ignorábat, de virginitáte magnam esse vulgo existimatiónem, quippe cum sit ea res natúra sublímis: quod inde patet, quia neque in véteri Testaménto a priscis illis sanctísque viris culta fuit, et in novo nulla legis necessitáte jubétur: non enim id imperávit, sed fidélium voluntáti permísit. Unde et Paulus ait: De virgínibus autem præcéptum Dómini non hábeo; et laudo quidem eum, qui hoc sectátur institútum, noléntem autem non cogo, neque eam rem præcéptum fácio.

℟. Hæc est Virgo sápiens, quam Dóminus vigilántem invénit, quæ accéptis lampádibus sumpsit secum óleum: * Et veniénte Dómino, introívit cum eo ad núptias. ℣. Média nocte clamor factus est: Ecce sponsus venit, exíte óbviam ei. - Et.

Lectio viii

Quóniam ígitur et magna res erat, ac de ea apud multos magna erat existimátio; ne quis ea perfécta se totum perfecísse putáret, ac cétera neglígeret, hanc parábolam pósuit, ut osténderet, virginitátem, quamvis cétera hábeat, si misericórdiæ bonis carúerit, cum fornicatóribus éjici. Ac mérito quidem inhumánum ac

misericórdia caréntem cum illis cóllocat. Fornicátor enim córporum, istæ vero pecuniárum cupiditáte vincúntur. Non est autem córporum et pecúniæ par cupíditas: sed ácrior multo atque veheméntior illa córporum est. Quanto ígitur cum imbecillióre luctántur, tanto minus vénia dignæ sunt, si vincántur. Idcírco étiam fátuas appellávit: quóniam majóri certámine superáto, in facilióre totum perdidérunt.

℟. Média nocte clamor factus est: * Ecce sponsus venit, exite óbviam ei. ℣. Prudéntes Vírgines, aptáte vestras lámpades. - Ecce. - Glória Patri. - Ecce.

Lectio ix

Lámpades autem hoc loco illud ipsum virginitátis donum appéllat, et sanctimóniæ puritátem: óleum vero benignitátem, eleemósynam, impénsum indigéntibus auxílium. Tardánte autem sponso, dormitavérunt omnes et dormiérunt. Non parvum témporis rursus spátium interjéctum osténdit, ut discípulos regnum ipsius mox futúrum exspectántes, ab ea opinióne dedúceret: id enim illi sperábant; quaprópter crebro ab hujúsmodi eos spe révocat. Ad hoc, illud quoque índicat; somnum quemdam esse mortem. Dormiérunt, inquit; média autem nocte clamor factus est: vel, ut in eádem parábola persístat: vel rursus osténdit, in nocte futúram esse resurrectiónem. Clamórem étiam Paulus commémorat, dicens: In jussu, in voce Archángeli, in novíssima tuba descéndet de cælo. Te Deum.

Ad Laudes fit Com. Feriæ.

Deinde S. Saturnini: Ant. Qui odit. ℣. Justus.

—✳—

Die 1 Decembris

Neo-Carthagine:

De VII die infra Oct. S. CATHARINÆ

Semiduplex Oratio

Deus, qui dedísti legem Móysi in summitáte montis Sínai,

et in eódem loco per sanctos Angelos tuos corpus beátæ Catharínæ Vírginis et Mártyris tuæ mirabíliter collocásti : præsta, quæsumus; ut ejus méritis et intercessióne, ad montem, qui Christus est, perveníre valeámus: Qui tecum.

Et fit Com. Feriæ.

In II Nocturno

Tres Lectiones S. Cypriani: Nunc nobis ad vírgines, ut in Comm. Virginum 2 loco.

In III Nocturno

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthæum

Lectio vii C. 25, 1-13

In illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis parábolam hanc: Símile erit regnum cælórum decem virgínibus, quæ accipiéntes lámpades suas, exiérunt óbviam sponso et sponsæ. Et réliqua.

De Homilía sancti Joánnis Chrysóstomi

Unde supra

Post ingéntes labóres, post incredíbiles sudóres et acérrimas pugnas, post trophæa, quæ de natúræ rábie statuérunt, resúrgunt cum dedécore, et lampádibus eárum exstínctis, terram aspiciéntes recédunt. Nihil sane tenebrósius est, quam virgínitas óleo carens: unde sic vulgo multi immisericórdes tenebrósos solent appelláre. Quid ígitur ex virginitáte lucrátæ sunt, quæ nec sponsum quidem vidérunt, nec saltem ad pulsándum usque pervenérunt, sed terríbile íllud verbum audivére: Abíte, néscio vos?

℟. Hæc est Virgo sápiens, quam Dóminus vigilántem invénit, quæ accéptis lampádibus sumpsit secum óleum: * Et veniénte Dómino, introívit cum eo ad núptias. ℣. Média nocte clamor factus est: Ecce sponsus venit, exíte óbviam ei. - Et.

Lectio viii

Quod cum ipse díxerit, nihil áliud quam gehénna et intolerábilis cruciátus relínquitur: immo vero étiam, gehénna, istud verbum grávius est: hoc verbum operánti-

bus étiam iniquitátem dixit: **Vigiláte**, quia nescítis diem neque horam: crebro id répetit, ut ignorántiam éxitus ab hac vita útilem esse osténdat. Ubi sunt ergo qui per totam vitam desídia torpéscunt, et quando a nobis admonéntur, respondére non dúbitant, ómnia se paupéribus moriéndi témpore relictúros?

℟. Média nocte clamor factus est: * Ecce sponsus venit, exíte óbviam ei. ℣. Prudéntes Vírgines, aptáte vestras lámpades. - Ecce. - Glória Patri. - Ecce.

Lectio ix

Audiant hæc verba, et eméndent se: multi enim abeúndi tempus exspectántes, ita repénte rapti sunt, ut nec injúngere suis quidquam potúerint. Sed hæc quidem parábola ejus eleemósynæ grátia, quæ cum pecúnia confícitur, dicta est. Cur autem hæc parábola sponsum addúcit? Ut vídeas quantum virgínibus Christus affícitur iis, quæ sua paupéribus érogant, hæc enim et vera virgínitas est. Nam et Paulus huic rei hanc descriptiónem attríbuit dicens: **Innúpta sollícita est de iis, quæ Dómini sunt, ut sit sancta córpore et spíritu.**

Te Deum laudámus.

Ad Laudes fit Com. Feriæ.

Vesperæ de seq. die Octava, Com. S. Bibianæ Virg. et Mart. ac Feriæ.

—✻—

Die 2 Decembris

Neo-Carthagine:

In Octava S. CATHARINÆ

Virginis et Martyris

Duplex majus

Oratio

Deus, qui dedísti legem Móysi in summitáte montis Sínai, et in eódem loco per sanctos Angelos tuos corpus beátæ Catharínæ Vírginis et Mártyris tuæ mirabíliter collocásti: præsta, quæsumus; ut ejus méritis et intercessióne, ad montem, qui Christus est, perveníre valeámus: Qui tecum.

Et fit Commemoratio S. Bibianæ: Ant. Símile est, ℣. Diffúsa. Deinde Com. Feriæ.

In II Nocturno

De Epístola sancti Hierónymi Presbyteri ad Eustóchium

De custod. Virg. t. 1 circa medium

Lectio iv

De virgínibus, inquit Apóstolus, præcéptum Dómini non hábeo. Cur? quia et ipse ut esset virgo, non fuit impérii, sed própriæ voluntátis. Neque enim audiéndi sunt, qui eum uxórem habuísse confíngunt; cum de continéntia dísserens, et suádens perpétuam castitátem, intúlerit: Volo autem omnes esse sicut meípsum. Et infra: Dico autem innúptis et víduis: Bonum est illis, si sic permáneant, sicut et ego. Quare ergo non habet Dómini de virginitáte præcéptum? Quia majóris est mercédis, quod non cógitur et offértur: quia si fuísset virgínitas imperáta, núptiæ videbántur ablátæ; et duríssimum erat contra natúram cógere, Angelorúmque vitam ab homínibus extorquére.

℟. **Propter veritátem, et mansuetúdinem, et justítiam: * Et dedúcet te mirabíliter déxtera tua.** ℣. **Spécie tua et pulchritúdine tua inténde, próspere procéde, et regna. - Et.**

Lectio v

Alia fuit in véteri lege felícitas. Ibi dícitur: Beátus, qui habet semen in Sion, et domésticos in Jerúsalem; et: Maledícta stérilis, quæ non pariébat; et: Fílii tui sicut novéllæ olivárum in circúitu mensæ tuæ. Vácuus erat orbis, et, ut de týpicis táceam, sola erat benedíctio liberórum. Proptérea et Abraham jam senex Cethúræ copulátur, et Jacob mandrágoris redímitur, et conclúsam vulvam in Ecclésiæ figúram Rachel conquéritur. Paulátim vero increscénte ségete, messor immíssus est. Virgo Elías, Eliséus virgo, vírgines multi fílii Prophetárum. Jeremíæ dícitur: Et tu

ne accípias uxórem. Sanctificátus in útero, captivitáte propínqua, uxórem prohibétur accípere. Aliis verbis idípsum Apóstolus lóquitur: Exístimo hoc bonum esse propter instántem necessitátem. Quæ est ista necéssitas, quæ aufert gáudia nuptiárum ? Tempus breviátum est, in próximo est Nabuchodónosor.

℟. Dilexísti justítiam, et odísti iniquitátem: * Proptérea unxit te Deus, Deus tuus, óleo lætítiæ. ℣. Propter veritátem, et mansuetúdinem, et justítiam. - Proptérea.

Lectio vi

Inveniebátur ergo, ut díximus, in viris tantum hoc continéntiæ bonum, et in dolóribus júgiter Heva parturiébat. Postquam vero virgo concépit in útero, et péperit nobis púerum, cujus principátus in húmeros ejus, Deum, fortem, patrem futúri sæculi, solúta maledíctio est. Mors per Hevam, vita per Maríam. Ideóque et dítius virginitátis donum fluxit in féminas, quia cœpit a fémina. Statim ut Fílius Dei ingréssus est super terram, novam sibi famíliam instítuit, ut qui ab Angelis adorabátur in cælo, habéret Angelos et in terris. Tunc Holoférnis caput Judith cóntinens amputávit: tunc Aman, qui interpretátur iníquitas, suo combústus est igni: tunc primum audítum est: Quæ non est nupta, cógitat quæ sunt Dómini, ut sit sancta córpore et spíritu.

℟. Afferéntur Regi vírgines post eam, próximæ ejus * Afferéntur tibi in lætítia et exsultatióne. ℣. Spécie tua et pulchritúdine tua inténde, próspere procéde, et regna. - Afferéntur tibi. - Glória Patri. - Afferéntur tibi.

In III Nocturno

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthæum

Lectio vii C. 25, 1-13

In illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis parábolam hanc: Símile erit regnum cælórum decem virgínibus:

quæ accipiéntes lámpades suas, exiérunt óbviam sponso et sponsæ. Et réliqua.

Homilía sancti Augustíni Epíscopi

Sermo 23 de Verbis Domini, cap. 8

Inténdat ítaque cáritas vestra. Sapiéntium lámpades ardébant de óleo ætérno, de consciéntiæ securitáte, de interióre glória, de íntima caritáte. Ardébant tamen et illárum fatuárum. Quare tunc ardébant? quia non déerant laudes hóminum. Póstea vero quam surrexérunt, idest in resurrectióne a mórtuis, cœpérunt aptáre lámpades suas, idest paráre, Deo óperum suórum réddere ratiónem. Et quia tunc nemo est qui laudet, omnis homo causæ suæ vacat: non erant qui óleum vénderent, cœpérunt defícere lámpades.

℟. Hæc est Virgo sápiens, quam Dóminus vigilántem invénit, quæ, accéptis lampádibus sumpsit secum óleum: * Et veniénte Dómino, introívit cum eo ad núptias. ℣. Média nocte clamor factus est: Ecce sponsus venit, exíte óbviam ei. - Et.

Lectio viii

Circa finem, cap. 10

Clausum est óstium. Et quid illis dictum est: Non novi vos. Non illas novit, qui ómnia novit? Quid ergo est: Non novi vos? Improbo vos, réprobo vos: in arte mea non vos agnósco: ars mea nescit vítia. Hoc est autem magnum, et nescit vítia, et júdicat vítia: nescit faciéndo, júdicat arguéndo. Sic ergo non novi vos. Iérunt, intravérunt quinque prudéntes. Sint in vobis quinque prudéntes, ad istam prudéntiam quinárii número pertinéntes. Véniet enim hora, et quando nescímus, véniet. Sic clausit Evangélium: Vigiláte, quia nescítis diem neque horam.

℟. Média nocte clamor factus est: * Ecce sponsus venit, exíte óbviam ei. ℣. Prudéntes Vírgines, aptáte vestras lámpades. - Ecce. - Glória Patri. - Ecce.

Pro S. Bibiana:
Lectio ix

Bibiána virgo Románа, nóbili génere nata, christiána fide nobílior fuit. Ejus enim paréntes, Flaviánus et Dafrósa, sub Juliáno Apóstata martyrium subiérunt. Tum Bibiána ejúsque soror Demétria, bonis ómnibus exspoliátæ et ab Aproniáno, Urbis prætóre, blandítiis et minis tentátæ, ut a recta fide declinárent, prætóris impietátem constantíssime detestátæ sunt. Quo in agóne Demétria ob óculos Bibiánæ repénte córruens, óbiit in Dómino: Bibiána autem Rufínæ mulíeri vaférrimæ seducénda tráditur; sed ejus superátis insídiis, prætóris astus delúsit. Quare hujus jussu plumbátis cæsa est, donec ánimam efflávit. Ejus sacrum corpus, bíduo cánibus objéctum, illæsum tamen divínitus servátum, Joánnes présbyter sepelívit noctu juxta sepúlchrum soróris et matris ad palátium Liciniánum, ubi nunc exstat ecclésia Deo, sanctæ Bibiánæ nómine, dicáta.

Te Deum laudámus.

Ad Laudes fit Com. S. Bibianæ: Ant. **Veni, sponsa,** ℣. **Spécie tua.**

Deinde Feriæ.

In Vesp. Com. seq. (S. Francisci Xaverii Confessoris), S. Bibianæ (Ant. **Símile est**, ℣. **Spécie**) et Feriæ.

—⁂—

Die 4 Decembris
S. BARBARÆ
Virginis et Martyris
Patr. minus princip.
Duplex majus

Oratio

Deus, qui inter cétera poténtiæ tuæ mirácula étiam in sexu frágili victóriam martyrii contulísti: concéde propítius; ut, qui beátæ Bárbaræ Vírginis et Mártyris tuæ natalítia cólimus, per ejus ad te exémpla gradiámur. Per Dóminum.

Et fit Com. S. Francisci Xaverii: Ant. **Hic vir,** ℣. **Justum,** Oratio **Deus, qui Indiárum.**

Deinde Com. S. Petri Chrysologi Ep., Conf. et Eccl. Doct.: Ant. **O Doctor... Petre Chrysó-**

loge, ℣. Amávit, Oratio Deus, qui beátum.

Postea Feriæ.

In II Nocturno

Lectio iv

Bárbara, virgo Nicomediénsis, Dióscori nóbilis sed superstitiósi hóminis filia, per ea quæ visibília facta sunt ad invisibília, divína opitulánte grátia, fácile pervénit. Quaprópter soli Deo rebúsque divínis vacáre cœpit. Eam pater, útpote forma venustióri niténtem, a quocúmque virórum occúrsu tutári cúpiens, turri inclúsit, ubi pia virgo meditatiónibus et précibus addícta, soli Deo, quem sibi in sponsum delégerat, placére studébat. Obláta a patre plúries nobílium connúbia fórtiter sprevit. Pater vero per sui abséntiam filiæ ánimum posse facílius emollíri confídens, jussit primo bálneum éxstrui, ne quid ei deésset ad commoditátem, deinde péregre in ésteras regiónes proféctus est.

℟. Propter veritátem, et mansuetúdinem, et justítiam: * Et dedúcet te mirabíliter déxtera tua. ℣. Spécie tua et pulchritúdine tua inténde, próspere procéde, et regna. - Et.

Lectio v

Abseénte patre, jussit Bárbara duábus fenéstris, quæ in turri erant, tértiam addi in honórem divínæ Trinitátis, labiúmque bálnei sacrosánctæ crucis signo muníri. Quod ubi rédiens Dióscorus inspéxit, audíta novitátis causa, ádeo in filiam excánduit, ut stricto ense eam áppetens parum abfúerit, quin eam dire confóderet: sed præsto ádfuit Deus; nam fugiénti Bárbaræ saxum ingens se pateefáciens viam apéruit, per quam montis fastígium pétere, sicque in specu latére pótuit: sed paulo post, cum a nequíssimo genitóre repérta fuísset, ejus látera pédibus, dorsúmque pugnis immániter percússit, et crínibus per loca áspera difficiléaque vias raptátam Marciáno præsidi puniéndam trádidit.

℟. Dilexísti justí-

tiam, et odísti iniquitátem: * Proptérea unxit te Deus, Deus tuus, óleo lætítiæ. ℣. Propter veritátem, et mansuetúdinem, et justítiam. - Proptérea.

Lectio vi

Itaque ab ipso ómnibus modis, sed incássum tentátam, nudam nervis cædi, et inflícta vúlnera téstulis confricári, deinde in cárcerem trahi præcépit: ubi imménsa luce circúmdatus ei Christus appárens mirífice confortátam in passiónum tolerántia confirmávit: quod animadvértens Juliána matróna, ad fidem convérsa, ejúsdem palmæ párticeps effécta est. Bárbaræ demum férreis únguibus membra laniántur, fácibus látera incendúntur, et malléolis caput contúnditur: quibus in cruciátibus consórtem solabátur et hortabátur, ut ad finem usque constánter certáret. Præcísis tandem utríque ubéribus, nudæ per loca pública tractæ, cápite plectúntur, filiæque cervícem ipse scelestíssimus pater humanitátis expers própriis mánibus amputávit: cujus fera crudélitas non diu inúlta remánsit; nam statim eo ipso in loco fúlmine percússus intériit. Caput hujus beatíssimæ Mártyris in oratório ad Sancta sanctórum honorífice servátur.

℟. Afferéntur Regi vírgines post eam, próximæ ejus * Afferéntur tibi in lætítia et exsultatióne. ℣. Spécie tua et pulchritúdine tua inténde, próspere procéde, et regna. - Afferéntur tibi. - Glória Patri. - Afferéntur tibi.

In III Noct. Homil. in Evang. Símile erit, de Communi Virginum 1 loco.

Pro S. Petro Chrysologo:

Lectio ix

Petrus, qui ob áuream ejus eloquéntiam Chrysólogi cognómen adéptus est, Foro Cornélii in Æmília honéstis paréntibus natus, a prima ætáte ánimum ad religiónem adjíciens, Cornélio Románo, tunc ejúsdem urbis Corneliénsis epíscopo,

óperam dedit: a quo diáconus mérito creátus est. A sancto Xysto Papa tértio, archiepíscopus Ravénnæ, licet invítus, renuntiátus, a Ravennátibus máxima cum reveréntia suscéptus est. In pastoráli múnere exímius, ludos ab homínibus personátis fieri sólitos ut cohibéret concióne, illud præclára dixit: Qui jocári volúerit cum diábolo, non póterit gaudére cum Christo. Vitæ suæ finem divínitus prænóscens, in pátriam se cóntulit, et sancti Cassiáni templum ingréssus, pretiósa dona cum obtulísset, Deum eumdémque patrónum humíliter rogávit, ut benígne ánimam ejus excíperent. Migrávit ex hac vita tértio Nonas Decémbris, décimo octávo episcopátus anno. Ejus sacrum corpus prope illud sancti Cassiáni honorífice cónditum est.

Te Deum laudámus.

In Laudibus fit Com. sancti Petri Chrysologi: Ant. **Euge**, ℣. **Justum.**

Deinde Com. Feriæ.

In II Vesperis Com. sancti Petri Chrysologi (Ant. **O Doctor**, ℣. **Justum**) et Feriæ.

—✻—

Eadem die 4 Decembris

In Archid. Medellen., Popayanen. ac Diœc. Antioq., Manizalen. et Calien.:

S. BARBARÆ

Virginis et Martyris

Patr. princ.

Duplex I classis cum Octava communi

Omnia de Communi Virginum 1 loco, præter Orationem et Lectiones II Nocturni, quæ dicuntur ut supra.

In utrisque Vesperis fit Com. Feriæ.

In Laudibus fit Com. sancti Petri Chrysologi (Ant. **O Doctor**, ℣. **Justum**, Oratio **Deus, qui beátum**) et Feriæ.

¶ Infra Octav. et in die Octava Antiphonæ et Psalmi ad omnes Horas de occurrenti hebdomadæ die, ut in Psalterio; Oratio ut in Festo; reliqua de Communi Virginum præter Lectiones, quæ in I Nocturno dicuntur de Scriptura occurrenti cum suis Responsoriis de Tempore, in II et III

pro singulis diebus assignantur propriæ.

—※—

Die 5 Decembris

In Archid. Medellen., Popayanen. et in Diœc. Antioq., Manizalen. et Calien.:

De II die infra Oct.

S. BARBARÆ

Virginis et Martyris

Semiduplex

Oratio **Deus, qui inter cétera.**

Et fit Com. Feriæ.

Deinde Com. S. Sabbæ Abb.: Ant. **Similábo,** ℣. **Amávit,** Oratio **Intercéssio** de Communi Abb.

In II Noct. **Sermo sancti Ambrósii Epíscopi: Quóniam hódie natális,** de Communi Virg. 1 loco.

In III Nocturno

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthæum

Lectio vii C. 25, 1-13

In illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis parábolam hanc: Símile erit regnum cælórum decem virgínibus, quæ accipiéntes lámpades suas, exiérunt óbviam sponso et sponsæ. Et réliqua.

De Homilía sancti Gregórii Papæ

Homilia 12 in Evang.

Notándum vero, quod omnes lámpades habent, sed omnes óleum non habent: quia plerúmque bona in se ópera cum eléctis et réprobi osténdunt: sed soli ad sponsum cum óleo véniunt, qui de his, quæ foris égerint, intus glóriam requírunt. Unde per Psalmístam quoque de sancta electórum Ecclésia dícitur: Omnis glória ejus fíliæ regis ab intus. Dormitavérunt omnes et dormiérunt. Dormíre, mori est: ante somnum vero dormitáre, est ante mortem a salúte languéscere: quia per pondus ægritúdinis pervenítur ad somnum mortis.

℟. **Hæc est Virgo sápiens, quam Dóminus vigilántem invénit, quæ accéptis lampádibus sumpsit secum óleum: * Et veniénte Dómino, introívit cum eo ad núptias.** ℣. **Média nocte clamor factus est: Ecce sponsus venit, exíte óbviam ei. - Et veniénte.**

Lectio viii

Quid est autem, quod fátuæ a prudéntibus óleum petunt, nisi quod in advéntu Júdicis, cum se intus vácuas invénerint, testimónium foris quærunt? Ac si a sua fidúcia decéptæ próximis dicant: Quia nos quasi sine ópere repélli conspícitis, dícite de nostris opéribus, quod vidístis. Unde et prudéntes per increpatiónem subdunt: Ite pótius ad vendéntes, et émite vobis. Venditóres quippe ólei, adulatóres sunt. De quo profécto óleo Psalmísta dicit: Oleum autem peccatóris non impínguet caput meum.

℟. Média nocte clamor factus est: * Ecce sponsus venit, exíte óbviam ei. ℣. Prudéntes Vírgines, aptáte vestras lámpades. - Ecce. - Glória Patri. - Ecce.

Lectio ix

O si sápere in cordis paláto possit, quid admiratiónis hábeat, quod dícitur: Venit sponsus; quid dulcédinis: Intravérunt cum eo ad núptias; quid amaritúdinis: Et clausa est jánua! Pensáte, fratres caríssimi, ante conspéctum tanti júdicis, quis in illo die terror erit, quando jam in pœna remédium non erit; quanta vero tunc erit electórum lætítia, qui de ejus meréntur visióne gaudére, de cujus conspéctu vident et eleménta ómnia contremíscere; cum eo simul ad núptias intráre, qui et in sponsi núptiis gaudent, et tamen ipsi sunt sponsa: quia in illo ætérni regni thálamo visióni nostræ Deus conjúngitur. Te Deum.

In Laud. Com. Fer. ac S. Sabbæ Abb.: Ant. Euge, ℣. Justum.

Vesp. de seq. Com. Oct. et Feriæ.

In Diœc. Antioquien.:

Vesp. de seq. Com. Feriæ tantum.

—✳—

Die 6 Decembris

In Diœc. Antioquien.

In DEDICATIONE ECCL. CATHEDRALIS

Duplex I classis cum Octava communi

Omnia ut in Comm. Dedic. Eccl. in Brev.

In utrisque Vesperis fit Com. Feriæ.

In Laudibus fit Com. S. Nicolai (Ant. Euge, ℣. Justum, Oratio Deus, qui beátum) et Feriæ.

—✳—

Die 11 Decembris

In Archid. Medellen., Popayanen. ac Diœc. Antioq., Manizalen. et Calien.:

In Octava S. BARBARÆ

Virginis et Martyris

Duplex majus

Oratio Deus, qui inter cétera.

Et fit Com. S. Damasi I Papæ et Conf.: Ant. Sacérdos, ℣. Amávit, Oratio Exáudi, Dómine.

Deinde Com. Octavæ Conceptionis immaculatæ: Ant. Hódie egréssa est, ℣. Immaculáta, Oratio Deus, qui.

Postea Com. Feriæ.

In II et III Nocturno, Lectiones cum ℟℟. ut supra die 2 Dec. in die Oct. S. Catharinæ Virg. et Mart. 17*

Pro S. Damaso:

Lectio ix

Dámasus Hispánus, vir egrégius et erudítus in Scriptúris sacris, indícto primo Constantinopolitáno concílio, nefáriam Eunómii et Macedónii hæresim exstínxit. Ariminénsem convéntum, a Libério jam ante rejéctum, íterum condemnávit; in quo, ut scribit sanctus Hierónymus, Valéntis potíssimum et Ursácii fráudibus, damnátio Nicænæ fídei conclamáta est. Basílicas duas ædificávit, álteram sancti Lauréntii nómine ad theátrum Pompéji, álteram via Ardeatína ad catacúmbas. Státuit, ut quod plúribus jam locis erat in usu, Psalmi per omnes ecclésias diu noctúque ab altérnis caneréntur, et in fine cujúsque Psalmi dicerétur: Glória Patri et Fílio et Spirítui Sancto. Ejus jussu sanctus Hierónymus novum testaméntum Græcæ fídei réddidit. Multa étiam sanctórum Mártyrum córpora invénit, eorúmque memórias vérsibus exornávit. Virtúte, doctrína et prudéntia clarus, prope

octogenárius, Theodósio senióre imperánte, obdormívit in Dómino.
Te Deum laudámus.

In Laudibus fit Com. S. Damasi: Ant. **Euge,** ℣. **Justum.**

Deinde Com. Octavæ Conceptionis immaculatæ : Ant. **Ait Dóminus,** ℣. **Immaculáta.**

In Diœc. Antioquien.:

Octavæ Dedicat. : Ant. **Zachæe,** ℣. **Hæc est.**

Postea Com. Feriæ.

—※—

Die 12 Decembris

B. M. V. DE GUADALUPE

Patronæ principalis totius Americæ Latinæ

Duplex I classis cum Octava communi

Omnia ut in Comm. Festorum B. M. V. præter sequentia.

In I Vesperis

Antiphonæ et Capit. de Laud. **34***

℣. **Non fecit táliter omni natióni.**

℟. **Et judícia sua non manifestávit eis.**

Ad Magnif. Ant. **Elégi, et sanctificávi locum istum, ut sit ibi nomen meum, et permáneant óculi mei et cor meum ibi cunctis diébus.**

Oratio

Deus, qui sub beatíssimæ Vírginis Maríæ singulári patrocínio constitútos perpétuis benefíciis nos cumulári voluísti: præsta supplícibus tuis; ut, cujus hódie commemoratióne lætámur in terris, ejus conspéctu perfruámur in cælis. Per Dóminum.

Et fit Com. Feriæ tantum.

Completor. de Dom.

Ad Matutinum

Hymnus

Præclára custos Vírginum,
Intácta Mater Núminis,
Cæléstis aulæ jánua,
Spes nostra, cæli gáudium.

Inter rubéta lílium,
Colúmba formosíssima,
Virga e radíce gérminans
Nostro medélam vúlneri.

Turris dracóni impérvia,
Amíca stella náufragis,
Tuére nos a fráudibus,
Tuáque luce dírige.

Erróris umbras díscute,
Syrtes dolósas ámove,
Fluctus tot inter, déviis
Tutam reclúde sémitam.
Jesu, tibi sit glória,
Qui natus es de Vírgine,
Cum Patre, et almo Spíritu,
In sempitérna sæcula. Amen.

In I Nocturno

Ant. **A solis ortu usque ad occásum, magnum est nomen meum in géntibus.**

Ant. **Ego in altíssimis habitávi, et thronus meus in colúmna nubis.**

Ant. **Invénta sum a non quæréntibus me; palam appárui iis, qui me non interrogábant.**

℣. **Notum fecit Dóminus salutáre suum.**
℟. **In conspéctu géntium revelávit glóriam suam.**

De libro Ecclesiástici

Lectio i C. 24, 5-13

Ego ex ore Altíssimi prodívi, primogénita ante omnem creatúram. Ego feci in cælis ut orirétur lumen indeficiens, et sicut nébula texi omnem terram. Ego in altíssimis habitávi, et thronus meus in colúmna nubis. Gyrum cæli circuívi sola, et profúndum abyssi penetrávi, in flúctibus maris ambulávi, et in omni terra steti, et in omni pópulo et in omni gente primátum hábui: et ómnium excelléntium et humílium corda virtúte calcávi: et in his ómnibus réquiem quæsívi, et in hereditáte Dómini morábor. Tunc præcépit, et dixit mihi Creátor ómnium: et qui creávit me, requiévit in tabernáculo meo, et dixit mihi: In Jacob inhábita, et in Israel hereditáre, et in eléctis meis mitte radíces.

℟. **Vidi speciósam sicut colúmbam ascendéntem désuper rivos aquárum: cujus inæstimábilis odor erat nimis in vestiméntis ejus: * Et sicut dies verni circúmdabant eam flores rosárum, et lília convállium** ℣. **Quæ est ista, quæ ascéndit per desértum**

sicut vírgula fumi, ex aromátibus myrrhæ et thuris? - Et sicut dies.

Lectio ii C. 24, 14-21

Ab inítio, et ante sæcula creáta sum, et usque ad futúrum sæculum non désinam, et in habitatióne sancta coram ipso ministrávi. Et sic in Sion firmáta sum, et in civitáte sanctificáta símiliter requiévi, et in Jerúsalem potéstas mea. Et radicávi in pópulo honorificáto, et in parte Dei mei heréditas illíus, et in plenitúdine Sanctórum deténtio mea. Quasi cedrus exaltáta sum in Líbano, et quasi cypréssus in monte Sion: quasi palma exaltáta sum in Cades, et quasi plantátio rosæ in Jéricho. Quasi olíva speciósa in campis, et quasi plátanus exaltáta sum juxta aquam in platéis. Sicut cinnamómum et bálsamum aromatízans odórem dedi: quasi myrrha elécta dedi suavitátem odóris: et quasi storax, et gálbanus, et úngula, et gutta, et quasi Líbanus non incísus vaporávi habitatiónem meam, et quasi bálsamum non mixtum odor meus.

℟. **Quæ est ista, quæ ascéndit sicut auróra consúrgens, pulchra ut luna, elécta ut sol, * Terríbilis ut castrórum ácies ordináta?** ℣. **Fília Sion, tota formósa et suávis es, pulchra ut luna, elécta ut sol. - Terríbilis.**

Lectio iii C. 24, 22-31

Ego quasi terebínthus exténdi ramos meos, et rami mei honóris et grátiæ. Ego quasi vitis fructificávi suavitátem odóris: et flores mei fructus honóris et honestátis. Ego mater pulchræ dilectiónis, et timóris, et agnitiónis, et sanctæ spei. In me grátia omnis viæ et veritátis: in me omnis spes vitæ et virtútis. Transíte ad me, omnes, qui concupíscitis me, et a generatiónibus meis implémini. Spíritus enim meus super mel dulcis, et heréditas mea super mel et favum. Memória mea in generatiónes

sæculórum. Qui edunt me, adhuc esúrient, et qui bibunt me, adhuc sitient. Qui audit me, non confundétur : et qui operántur in me, non peccábunt. Qui elúcidant me, vitam ætérnam habébunt.

℟. Quæ est ista, quæ procéssit sicut sol, et formósa tamquam Jerúsalem ? * Vidérunt eam fíliæ Sion, et beátam dixérunt, et regínæ laudavérunt eam. ℣. Et sicut dies verni circúmdabant eam flores rosárum, et lília convállium. - Vidérunt eam. - Glória Patri. - Vidérunt eam.

In II Nocturno

Ant. Signum magnum appáruit in cælo: múlier amícta sole, et luna sub pédibus ejus.

Ant. Pópulus qui ambulábat in ténebris, vidit lucem magnam; habitántibus in regióne umbræ mortis, lux orta est eis.

Ant. Vidérunt omnes términi terræ salutáre Dei nostri.

℣. Introíbimus in tabernáculum ejus.

℟. Adorábimus in loco ubi stetérunt pedes ejus.

Lectio iv

Anno a reparáta salúte millésimo quingentésimo trigésimo primo, Deípara Virgo Joánni Dídaco, pio rudíque neóphyto, Méxici in colle Tepejacénsi, uti antíqua et constánti traditióne mandátur, sese vidéndam præbuit, eúmque peramánter álloquens, Epíscopum adíre, ipsíque ædem íníbi sibi sacram excitándam nuntiáre jussit. Rei veritátem solérter explorátúrus, responsiónem dístulit Joánnes de Zumárraga, loci Antístes: ac neóphyto, beatíssimæ Vírginis aspéctu imperióque rursus permóto, legationémque lácrimis et précibus iteránti, præcépit, ut signum, quo magnæ Dei matris ostenderétur volúntas, eníxe péteret.

℟. Signum magnum appáruit in cælo, múlier amicta sole et luna sub pédibus ejus, * Et in cápite ejus coróna stellárum duódecim. ℣. Fundaménta ejus in

móntibus sanctis, díligit Dóminus portas Sion super ómnia tabernácula Jacob. - Et.

Lectio v

Dum viam a colle Tepejacénsi remotiórem neóphytus arríperet, et Méxicum, ne pátruo letháli morbo corrépto extréma deéssent sacraménta, Sacerdótem advocatúrus conténderet, eídem benigníssima Virgo tértio occúrrit; mæréntem de pátrui sanitáte certiórem facit; rosásque pulchérrimas, contra loci hiemísque asperitátem, recens obórtas, in ejus pállio compósitas, Epíscopo deférri injúngit. Mandátis obséquitur Dídacus, cujus in pállio, rosis coram Epíscopo effúsis, Maríæ sanctæ imágo qua prorsus spécie in colle prope urbem sese exhibúerat, mirum in modum depícta conspícitur. Tanto percúlsi prodígio religiósam cives effígiem in episcopáli sacéllo rite asservándam curant: quæ, paulo post, solémni pompa ad ædem in colle Tepejacénsi exstrúctam transláta, insígni géntium cunctárum veneratióne præfúlget.

℟. Quæ est ista, quæ progréditur quasi auróra consúrgens: * Pulchra ut luna, elécta ut sol? ℣. Quasi arcus refúlgens inter nébulas glóriæ, et quasi flos rosárum in diébus vernis. - Pulchra.

Lectio vi

Magnífico deínceps excépta templo, cui Canonicórum Collégium Románi Pontífices ad divíni cultus splendórem addidérunt, Mexicánæ gentis pietátem in Deíparam summópere adáuxit; ingentíque abhinc quátuor sæculis cólitur populórum ac miraculórum frequéntia. Quaprópter eam uti præsentíssimum advérsus públicas privatásque calamitátes præsídium Archiepíscopus Mexicánus ceteríque illárum regiónum Antístites, ómnium órdinum consensióne, in primáriam adlegérunt univérsæ Mexicánæ Natiónis Patrónam, ritéque eléctam Benedíctus déci-

mus quartus auctoritáte apostólica declarávit, atque Offícium et Missam sub título beátæ Vírginis Guadalupénsis, recitári concéssit. Leo vero décimus tértius iterátis Mexicanórum Præsulum petitiónibus benígne ánnuens, novíssimum hoc Offícium, ex Sacrórum Rítuum Congregatiónis consúlto, recitári indúlsit, Virginísque effígiem prodígiis atque cultu célebrem áurea coróna, suo nómine et jussu, solémni ritu condecorári decrévit. Quam quidem quarto Idus Octóbris anno millésimo octingentésimo nonagésimo quinto, coram Epíscopis fere ómnibus Reipúblicæ et áliis bene multis ex réliquis Américæ pártibus, illuc confluéntibus, máxima incolárum advenarúmque frequéntia et gratulatióne, Archiepíscopus Mexicánus pretiosíssimam impósuit. Tandem Pius décimus sacrórum Antístitum Américæ Latínæ votis satisfactúrus, eámdem beatíssimam Vírginem Guadalupénsem totíus Américæ Latínæ Patrónam præcípuam declarávit.

℟. **Elégi et sanctificávi locum istum; * Ut sit ibi nomen meum, et permáneant óculi mei, et cor meum ibi cunctis diébus.** ℣. **Non fecit táliter omni natióni, et judícia sua non manifestávit eis. - Ut. - Glória. - Ut.**

In III Nocturno

Ant. **Tabernáculum Dei María, in médio Civitátis ejus, et non commovébitur.**

Ant. **Egréssa es in salútem pópuli tui, in salútem cum Christo tuo.**

Ant. **Gloriósa dicta sunt de te, Cívitas Dei: fundávit te Dóminus in móntibus sanctis.**

℣. **Fílii tui de longe vénient.** ℟. **Et fíliæ tuæ de látere surgent.**

Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam

Lectio vii C. 1, 39-47

In illo témpore: Exsúrgens María ábiit in montána cum festinatióne, in civitátem Juda. Et intrávit in domum Zacharíæ, et

salutávit Elísabeth. Et réliqua.

Homilia
sancti Bernárdi Abbátis
De verb. Apoc. c. 12
ad finem

Mirabátur Elísabeth persónam veniéntis, dicens: Unde hoc mihi, ut véniat Mater Dómini mei ad me? Commendábat et vocem salutántis, adjíciens: Ut facta est vox salutatiónis tuæ in áuribus meis, exsultávit in gáudio infans in útero meo: et beatificábat fidem credéntis: Beáta, inquiens, quæ credidísti. Magna quidem præcónia; sed et devóta humílitas nihil sibi passa retinére, in eum magis univérsa refúdit, cujus in se benefícia laudabántur.

℟. Felix namque es, sacra Virgo María, et omni laude digníssima: * Quia ex te ortus est sol justítiæ, Christus Deus noster. ℣. Ora pro pópulo, intérveni pro clero, intercéde pro devóto femíneo sexu: séntiant omnes tuum juvámen, quicúmque célebrant tuam sanctam Festivitátem. - Quia.

Lectio viii

Tu, inquit, magníficas Matrem Dómini, sed magníficat ánima mea Dóminum. In voce mea fílium pérhibes exsultásse in gáudio, sed exsultávit spíritus meus in Deo salutári meo: et ipse quoque tamquam amícus sponsi gaudet ad vocem sponsi. Beátam me esse dicis, quæ crédidi; sed credulitátis et beatitúdinis causa respéctus est supérnæ pietátis; ut ex hoc magis beátam me dicant omnes generatiónes, quia ancillam húmilem et exíguam respéxit Deus. Verúmtamen numquid putámus, fratres, Elísabeth sanctam in eo quod per spíritum útique loquebátur errásse? Absit. Beáta plane quam respéxit Deus, et beáta quæ crédidit. Hic enim magnus divínæ respectiónis éxstitit fructus.

℟. Beátam me dicent omnes generatiónes: * Quia fecit mihi Dóminus magna qui potens est, et sanctum nomen ejus. ℣. Et misericórdia ejus, a progénie in

progénies timéntibus eum. - Quia. - Glória. - Quia.

Lectio ix

Ineffábili síquidem artifício Spíritus supervéniens tantæ humilitáti, magnanímitas tanta in secretário virgínei cordis accéssit, ut quod vidélicet nec humílitas tanta minúerit magnanimitátem, nec magnanímitas tanta humilitátem. Sed cum in sua æstimatióne tam húmilis esset, nihilóminus et in promissiónis credulitáte magnánimis, ut quæ nihil áliud quam exíguam sese reputábat ancíllam, ad inscrutábile sacraméntum nullátenus se dubitáret eléctam, et veram Dei et hóminis Genitrícem créderet mox futúram. Jam te, Mater misericórdiæ, per ipsum sincieríssimæ tuæ mentis afféctum tuis jacens provolúta pédibus luna, mediatrícem sibi apud solem justítiæ constitútam, devótis supplicatiónibus interpéllat, ut in lúmine tuo vídeat lumen, et solis grátiam tuo mereámur obténtu, quam vere amávit præ ómnibus, et ornávit stola glóriæ índuens, et corónam pulchritúdinis ponens in cápite tuo.

Te Deum laudámus.

Ad Laudes

et per Horas

Ant. 1 **Quæ est ista * quæ procéssit sicut sol, et formósa tamquam Jerúsalem?**

Psalmi de Dominica 1 loco.

2 **Vidérunt eam * fíliæ Sion vernántem in flóribus rosárum, et beatíssimam prædicavérunt.**

3 **Flores apparuérunt * in terra nostra: te laudámus, sancta Dei Génitrix.**

4 **Cantáte ei * cánticum novum: annuntiáte inter gentes glóriam ejus.**

5 **Tu glória * Jerúsalem, tu lætítia Israel, tu honorificéntia pópuli tui.**

Capit. Prov. 8, 34-35

Beátus homo qui audit me, et qui vígilat ad fores meas quotídie, et obsérvat ad postes óstii mei. Qui me invénerit, in-

véniet vitam, et háuriet salútem a Dómino.

Hymnus

Ex S. Anselmo Ep. Cantuarien.

Alma Parens, omni carens
Corruptélæ mácula,
Quam elégit qui confrégit
Diræ mortis víncula.

Clemens! præsta, ut, qui festa
Tua gaudent cólere,
Graturéntur et læténtur,
Veræ lucis lúmine.

Primum quidem nobis fidem
Tuis auge précibus,
Spe labéntes firma mentes,
Caritáte róbora.

Mater Dei! nostræ spei
Causa et exórdium,
Aufer bella et flagélla,
Famem, pestem, gládium.

Egenórum et vinctórum
Consoláre gémitum:
Fave votis, dans ægrótis
Optátum remédium.

Pax et quies nostros dies
Fáciant lætíssimos:
Inimícos fac amícos,
Seda malos hómines.

O María, Mater pia,
Tuum da subsídium,
Ut regnémus et laudémus
Tuum semper Fílium.

Pater Deus, Fili Deus,
Deus Alme Spíritus,
Per ætérna nos gubérna
Sæcula, Deus Trínitas.
Amen.

℣. **Omnis terra adóret te, et psallat tibi.**

℟. **Psalmum dicat nómini tuo.**

Ad Bened. Ant. **Quasi arcus refúlgens inter nébulas glóriæ, et quasi flos rosárum in diébus vernis.**

Oratio

Deus, qui sub beatíssimæ Vírginis Maríæ singulári patrocínio constitútos perpétuis benefíciis nos cumulári voluísti: præsta supplícibus tuis; ut, cujus hódie commemoratióne lætámur in terris, ejus conspéctu perfruámur in cælis. Per Dóminum.

Et fit Com. Feriæ tantum.

Ad Horas Psalmi de Dominica, ad Primam tamen ut in Festis, et ad eam in ℟. br. di-

citur ℣. **Qui natus es de María Vírgine.**

Ad Tertiam

Capit. **Beátus homo,** ut supra ad Laudes.

℟. br. **Spécie tua * Et pulchritúdine tua. - Spécie.** ℣. **Inténde, próspere procéde, et regna. - Et pulchritúdine. - Glória Patri. - Spécie.**

℣. **Adjuvábit eam Deus vultu suo.** ℟. **Deus in médio ejus, non commovébitur.**

Ad Sextam

Capit. Eccli. 24, 15-16

Et sic in Sion firmáta sum, et in civitáte sanctificáta simíliter requiévi, et in Jerúsalem potéstas mea. Et radicávi in pópulo honorificáto, et in parte Dei mei heréditas illíus, et in plenitúdine sanctórum deténtio mea.

℟. br. **Adjuvábit eam, * Deus vultu suo. - Adjuvábit.** ℣. **Deus in médio ejus, non commovébitur. - Deus vultu suo. - Glória Patri. - Adjuvábit.**

℣. **Elégit eam Deus, et præelégit eam.**

℟. **In tabernáculo suo habitáre facit eam.**

Ad Nonam

Capit. Eccli. 24, 19-20

In platéis sicut cinnamómum, et bálsamum aromatízans odórem dedi: quasi myrrha elécta dedi suavitátem odóris.

℟. br. **Elégit eam Deus, * Et præelégit eam. - Elégit.** ℣. **In tabernáculo suo habitáre facit eam. - Et præelégit. - Glória Patri. - Elégit.**

℣. **Diffúsa est grátia in lábiis tuis.**

℟. **Proptérea benedíxit te Deus in ætérnum.**

In II Vesperis

Omnia ut in primis Vesp. **27***, præter seq.

℣. **Non fecit táliter omni natióni.**

℟. **Et judícia sua non manifestávit eis.**

Ad Magnif. Ant. **Leva in circúitu óculos tuos et vide: omnes isti congregáti sunt, venérunt tibi: fílii tui de longe vénient, et fíliæ tuæ de látere surgent.**

Et fit Com. seq.: Ant. **In tua patiéntia,** ℣. **Spécie,** Oratio **Exáudi,** ut in Brev. die sequenti.

Deinde Com. Feriæ tantum.

In Diœces. Antioquien.: Et fit Com. seq. diei Oct. Dedic. Eccles. Cathedr.: Ant. **Sanctificávit,** ℣. **Hæc est,** Oratio **Deus, qui nobis.**

Deinde Com. S. Luciæ, ut supra.

Postea Com. Feriæ tantum.

Completor. de Dom.

¶ Durante Octava Conceptionis, ob identitatem personæ, numquam fit Commemoratio de Octava B. M. V. de Guadalupe. Proinde ejus Commemoratio fit tantum die 16 Decembris, in Festo S. Eusebii Episcopi et Martyris, nam, adveniente die 17 Dec., cessant Oct. particulares.

—*—

Die 13 Decembris

In Diœces. Antioquien.:

In Octava DEDICATIONIS ECCL. CATHEDRALIS

Duplex majus

Antiphonæ et Psalmi ad omnes Horas et Versus Nocturnorum de occurrenti hebdomadæ die, ut in Psalterio, Lectiones I Nocturni de Scriptura occurrenti cum suis Responsoriis de Tempore, reliqua de Communi Dedicationis Ecclesiæ in die Festo atque in die Octava.

Pro S. Lucia Virgine et Martyre:

Lectio ix

Lúcia, virgo Syracusána, génere et christiána fide nóbilis, Cátanam ad beátæ Agathæ sepúlchrum, Eutychiæ matris sánguinis fluxu laborántis, sanitátem impetrávit. Mox, bona ómnia quæ in dotem esset acceptúra, a matre impetráta, paupéribus distríbuit. Quare apud Paschásium præféctum quod christiána esset, accusáta, nec blandítiis nec minis addúci pótuit ut idólis sacrificáret. Tunc Paschásius ira inflammátus, Lúciam eo trahi jussit, ubi ejus virgínitas violarétur: sed divínitus factum est, ut firma Virgo ita consísteret, ut nulla vi de loco dimovéri posset. Quam ob rem præféctus, circum ipsam, ignem accéndi

imperávit: sed cum ne flamma quidem eam læderet, multis torméntis excruciátæ guttur gládio transfígitur. Quo vúlnere accépto, Lúcia prædícens Ecclésiæ tranquillitátem, quæ futúra erat Diocletiáno et Maximiáno mórtuis, Idibus Decémbris spíritum Deo réddidit. Cujus corpus Syracúsis sepúltum, deínde Constantinópolim, postrémo Venétias translátum est.

Te Deum laudámus.

In Laudibus fit Com. S. Luciæ: Ant. **Colúmna**, ℣. **Diffúsa.**

Deinde Feriæ.

—✳—

Die 20 Januarii

Neo-Carthagine (in Civitate)

S. SEBASTIANI Mart.

Patroni princip.

Duplex I classis

cum Octava communi

Omnia de Communi un. Mart. præter seq.

Oratio

Præsta, quæsumus omnípotens Deus: ut, qui beáti Sebastiáni Mártyris tui natalítia cólimus, intercessióne ejus in tui nóminis amóre roborémur. Per Dóminum nostrum.

In I Nocturno Lect. **Fratres: Debitóres,** de Communi plurimorum Martyrum cum ℟℟. de Comm. unius Mart.

In II Nocturno

Lectio iv

Sebastiánus ex patre Narbonénsi, matre Mediolanénsi natus, ob géneris nobilitátem et virtútem Diocletiáno carus fuit; dux primæ cohórtis, Christiános, quorum fidem clam colébat, ópera et facultátibus adjuvábat: et qui ex eis tormentórum vim reformidáre videbántur, cohortatióne sic confirmábat, ut pro Jesu Christo multi se ultro tortóribus offérrent. In illis fuére Marcus et Marcelliánus fratres, qui Romæ in custódia erant apud Nicóstratum: cujus uxor Zoe vocem, quam amíserat, Sebastiáni oratióne recuperávit.

℟. **Honéstum fecit illum Dóminus, et custodívit eum ab inimícis, et a seductóribus tutávit illum: * Et dedit illi claritátem ætér-**

nam. ℣. Descendítque cum illo in fóveam, et in vínculis non derelíquit eum. - Et.

Lectio v

Quibus Diocletiáno delátis, Sebastiánum accérsit, et veheméntius objurgátum ómnibus artifíciis a Christi fide conátur avértere. Sed cum nihil nec pollicéndo, nec terréndo profíceret, ad palum alligátum sagíttis configi jubet. Quem ómnium opinióne mórtuum noctu sancta múlier Iréne sepeliéndi grátia jussit auférri: sed vivum repértum domi suæ curávit. Itaque paulo post confirmáta valetúdine, Diocletiáno óbviam factus, ejus impietátem libérius accusávit.

℟. Desidérium ánimæ ejus tribuísti ei, Dómine, * Et voluntáte labiórum ejus non fraudásti eum. ℣. Quóniam prævenísti eum in benedictiónibus dulcédinis: posuísti in cápite ejus corónam de lápide pretióso. - Et.

Lectio vi

Cujus aspéctu cum ille primum obstupuísset, quod mórtuum créderet; rei novitáte, et acri Sebastiáni reprehensióne excandéscens, eum támdiu virgis cædi imperávit, donec ánimam Deo rédderet. Ejus corpus in cloácam dejéctum Lucína a Sebastiáno in somnis admónita, ubi esset, et quo loco humári vellet, ad Catacúmbas sepelívit, ubi sancti Sebastiáni nómine célebris ecclésia est ædificáta.

℟. Stola jucunditátis induit eum Dóminus: * Et corónam pulchritúdinis pósuit super caput ejus. ℣. Cibávit illum Dóminus pane vitæ et intelléctus: et aqua sapiéntiæ salutáris potávit illum. - Et. - Glória Patri. - Et.

In III Nocturno Hom. in Evangelium Nolíte arbitrári, de Communi unius Martyris 3 loco.

In Laudibus fit Commemoratio sancti Fabiani: Ant. Iste sanctus, ℣. Glória, Oratio Infirmitátem, de Communi unius Mart.

In II Vesperis Com. seq. tantum.

—✳—

Die 27 Januarii

Neo-Carthagine (in Civitate):
In Octava
S. SEBASTIANI Mart.

Duplex majus

Antiphonæ et Psalmi ad omnes Horas et Versus Nocturnorum de occurrenti hebdomadæ die, ut in Psalterio, reliqua ut in Festo præter Lectiones, quæ in I Nocturno dicuntur de Scriptura occurrenti cum suis Responsoriis de Tempore, in II et III ut infra.

Oratio

Præsta, quæsumus omnípotens Deus: ut, qui beáti Sebastiáni Mártyris tui natalítia cólimus, intercessióne ejus in tui nóminis amóre roborémur. Per Dóminum nostrum.

Et fit Com. præced.: Ant. **Qui vult,** ℣. **Justus,** Oratio **Deus, qui nos**, de Comm. unius Mart.

Deinde Com. S. Joannis Chrysostomi Ep., Conf. et Eccl. Doct.: Ant. **O Doctor,** ℣. **Amávit,** Oratio **Ecclésiam tuam.**

In II Nocturno

De Sermóne sancti Augustíni Epíscopi

Sermo 44 de Sanctis, circa med.

Lectio iv

Patiénter permíttunt ægróti, se a médicis secári, uri, et váriis amaritúdinum confectiónibus anxiári, ut temporáli tandem restituántur sanitáti: quanto magis vir beátus longanímiter tolerávit omnem acerbitátem tormentórum temporálium, ut coronarétur in misericórdia et miseratiónibus, et in bonis satiarétur desidérium suum? In torculári ítaque conculcári vóluit, ut tamquam uva matúra in vinum defíceret, et vinum malórum granatórum diléсto suo propináret, quo mentes religiósæ ebriátæ, sciunt utíliter terréna conculcáre, et ad ætérna irretórtis óculis anheláre.

℟. **Honéstum fecit illum Dóminus, et custodívit eum ab inimícis, et a seductóribus tutávit illum: * Et dedit illi claritátem ætér-**

nam. ℣. Descendítque cum illo in fóveam, et in vínculis non derelíquit eum. - Et dedit.

Lectio v

Qui ergo in tirocínio suo mundánas contémpsit divítias, qui corporáles étiam refrenávit illécebras, qui in provéctu milítiæ suæ multas est perpéssus injúrias, in perfectióne sacrifícii nil sibi resérvans, seípsum óbtulit holocáustum bibens illum cálicem pretiósum, quem sedens ad magnam mensam sacræ lectiónis sibi prius ab invitatóre suo víderat appósitum. Cujus mors quantumcúmque videátur in conspéctu reprobórum despicábilis, in óculis tamen ejus est pretiósa, qui in Sanctis suis est mirábilis.

℟. Desidérium ánimæ ejus tribuísti ei, Dómine, * Et voluntáte labiórum ejus non fraudásti eum. ℣. Quóniam prævenísti eum in benedictiónibus dulcédinis: posuísti in cápite ejus corónam de lápide pretióso. - Et.

Lectio vi

Ipse enim primo vocávit mílitem suum, ipse justificávit, ipse magnificávit; ipse dedit ei pugnáre, ipse dedit ei víncere. Longe est dissímilis hæc milítia mundánæ milítiæ, in qua victóres existimántur, qui quod male desíderant, assequúntur: qui lætántur cum malefécerint, et exsúltant in rebus péssimis. In christiáno ergo agóne manifésta est pœna, occúlta victória, secúndum quod ex persóna mártyrum clamat Psalmísta: Da nobis auxílium de tribulatióne, quia vana est salus hóminis: in Deo faciémus virtútem. Tamquam si dícerent: Victória nostra, glória nostra intus est, non foris est: foris despécti, intus diIécti.

℟. Stola jucunditátis índuit eum Dóminus: * Et corónam pulchritúdinis pósuit super caput ejus. ℣. Cibávit illum Dóminus pane vitæ et intelléctus: et aqua sapiéntiæ salutáris potávit illum. - Et. - Glória Patri. - Et.

In III Nocturno

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthæum

Lectio vii

Cap. 10, 34-42

In illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis: Nolíte arbitrári, quia pacem vénerim míttere in terram: non veni pacem míttere, sed gládium. Et réliqua.

Homilía sancti Ambrósii Epíscopi

Lib. 7 in Lucam

Cum in ómnibus fere Evangélii locis spirituális intelléctus operétur, tamen in præsénti máxime: et ne quem durítia nudæ expositiónis offéndat, spiritáli altitúdine sensus séries temperánda est: præsértim cum sacrosáncta relígio morálibus disciplínis, et mítibus pietátis exémplis, étiam fídei éxsules ad reveréntiam tamen sui cleménter ínvitet, ut prævia fídei disciplína, mansuetúdini sui superstitiónum dura dissólvat, et obnóxias erróribus mentes cogat étiam fide crédere, quas pótuit pietáte mulcére. Etenim cum fídei alta pectóribus non capiúntur infírmis, per ea quæ præcépta sunt, ea quæ veneránda sunt, æstimántur: ut justa de justo, sancta de sancto, bonórum suórum bonum testéntur auctórem.

℟. Coróna áurea super caput ejus, * Expréssa signo sanctitátis, glória honóris, et opus fortitúdinis. ℣. Quóniam prævenísti eum in benedictiónibus dulcédinis, posuísti in cápite ejus corónam de lápide pretióso. - Expréssa.

Lectio viii

Ergo Dóminum illum, qui simul divinitátis reveréntiam et pietátis grátiam sua lege compléxus est, dicens: Díliges Dóminum Deum tuum, díliges próximum tuum; ita nunc mutátum esse opinábimur, ut abolére necessitúdinum nómina, collídere pietátis afféctus, caríssimórum pígnorum dissídia mandásse credámus? Et quómodo ipse est pax nostra,

qui fecit útraque unum? Quómodo ipse dicit: Pacem meam do vobis, pacem meam relínquo vobis; si paréntes a fíliis, fílios a paréntibus dissídio necessitúdinis separatúrus advénit? Quómodo maledíctus, qui non honórat patrem; religiósus, qui déserit?

℟. Hic est vere Martyr, qui pro Christi nómine sánguinem suum fudit: * Qui minas júdicum non tímuit, nec terrénæ dignitátis glóriam quæsívit, sed ad cæléstia regna pervénit. ℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas, et osténdit illi regnum Dei. - Qui minas. - Glória Patri. - Qui minas.

Pro S. Joanne Chrysostomo:

Lectio ix

Joánnes Antiochénus, propter áureum eloquéntiæ flumen cognoménto Chrysóstomus, présbyter Antiochénæ ecclésiæ factus, mórtuo Nectário, Arcádii imperatóris ópera, invítus Constantinopolitánæ ecclésiæ præfícitur. Quo in múnere, cum depravátos mores et nobílium hóminum vivéndi licéntiam veheméntius objurgáret, magnam multórum súbiit invídiam. Apud Eudóxiam étiam, quod eam propter Callítropæ víduæ pecúniam, et altérius víduæ agrum reprehendísset, gráviter offéndit. Quare exsuláre cógitur, víduis et egéntibus ómnibus commúnis paréntis ejectiónem lugéntibus. Incredíbile dictu est, quanta mala in exsílio perpéssus sit, et quam multos ad Jesu Christi fidem convérterit. Multitúdinem, pietátem ac splendórem conciónum ceterorúmque ejus scriptórum, omnes admirántur. Animam Deo réddidit décimo octávo Kaléndas Octóbris, ejúsque corpus in basílica Vaticána cónditum est. Hunc præclárum totíus Ecclésiæ Doctórem Pius Papa décimus cæléstem prædicatórum patrónum constítuit.

Te Deum laudámus.

In Laudibus fit Com. sancti Joannis Chryso-

stomi : Ant. **Euge**, ℣. **Justum.**

In Vesp. Com. seq.: Ant. **Stans a dextris**, ℣. **Spécie**, Oratio **Deus, qui nos ánnua.**

Deinde Com. sancti Joannis Chrysostomi : Ant. **O Doctor**, ℣. **Justum**, Orat. **Ecclésiam.**

—✳—

Die 2 Februarii

Medelli (in Civitate):

In PURIFICATIONE B. MARIÆ VIRGINIS

Patronæ principalis

Duplex I classis cum Octava communi extra Quadrag.

Omnia ut in Brev., hac die.

Et non fit Com. præc.

¶ Infra Octav. et in die Octava Antiphonæ et Psalmi ad omnes Horas et Versus Nocturnorum de occurrenti hebdomadæ die, ut in Psalterio, reliqua ut in Festo præter Lectiones, quæ in I Nocturno dicuntur de Scriptura occurrenti cum suis Responsoriids de Tempore, in II et III pro singulis diebus assignantur propriæ.

—✳—

Die 3 Februarii

Medelli (in Civitate):

De II die infra Octavam PURIFICATIONIS B. MARIÆ VIRGINIS

Semiduplex

In II Nocturno

Sermo sancti Augustíni Epíscopi Serm. 18 de Sanctis, in medio

Lectio iv

Exsúltat María, et matrem se læta mirátur, et de Spíritu Sancto se peperísse gaudet; nec quia péperit innúpta, terrétur; sed quia genúerit, cum exsultatióne mirátur. O fémina super féminas benedícta, quæ virum omníno non novit, et virum suo útero circúmdedit! Circúmdat virum María, Angelo fidem dando, quia Heva pérdidit virum, serpénti consentiéndo. O felix obediéntia, o insígnis grátia! quæ dum fidem humíliter dedit, cæli in se opíficem corporávit. Hinc promé-ruit glóriam, quam ipsa póstmodum auxit. Ecce, ait, ex hoc beátam me dicent omnes generatiónes.

℟. Símeon justus et timorátus exspectábat redemptiónem Israel: * Et Spíritus Sanctus erat in eo. ℣. Respónsum accépit Símeon a Spíritu Sancto, non visúrum se mortem, nisi vidéret Christum Dómini. - Et Spíritus.

Lectio v

O beáta María, quis tibi digne váleat jura gratiárum ac laudum præcónia repéndere, quæ singulári tuo assénsu mundo succurrísti pérdito? Quas tibi laudes fragílitas humáni géneris persólvat, quæ solo tuo commércio recuperándi áditum invénit? Accipe ítaque quascúmque exíles, quascúmque méritis tuis ímpares gratiárum actiónes: et cum suscéperis vota, culpas nostras orándo excúsa. Admítte nostras preces intra sacrárium exauditiónis, et repórta nobis antídotum reconciliatiónis.

℟. Respónsum accépit Símeon a Spíritu Sancto, non visúrum se mortem, nisi vidéret Christum Dómini: * Et benedíxit Deum, et dixit: Nunc dimíttis servum tuum in pace, quia vidérunt óculi mei salutáre tuum, Dómine. ℣. Cum indúcerent púerum Jesum paréntes ejus, ut fácerent secúndum consuetúdinem legis pro eo: ipse accépit eum in ulnas suas. - Et.

Lectio vi

Sit per te excusábile quod per te ingérimus: fiat impetrábile quod fida mente póscimus. Accipe quod offérimus, redóna quod rogámus, excúsa quod timémus, quia tu es spes única peccatórum. Per te sperámus véniam delictórum, et in te, beatíssima, nostrórum est exspectátio præmiórum. Sancta María, succúrre míseris, juva pusillánimes, réfove flébiles, ora pro pópulo, intérveni pro clero, intercéde pro devóto femíneo sexu: séntiant omnes tuum juvámen, quicúmque célebrant tuam sanctam Festivitátem.

℟. Cum indúcerent púerum Jesum parén-

tes ejus in templum, ut fácerent secúndum consuetúdinem legis pro eo, accépit eum Símeon in ulnas suas, et benedíxit Deum, dicens: * Nunc dimíttis, Dómine, servum tuum in pace. ℣. Suscípiens Símeon púerum in mánibus, exclamávit, dicens. - Nunc. - Glória Patri. - Nunc.

In III Nocturno

Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam

Lectio vii

Cap. 2, 22-32

In illo témpore: Postquam impléti sunt dies purgatiónis Maríæ secúndum legem Móysi, tulérunt Jesum in Jerúsalem, ut sísterent eum Dómino, sicut scriptum est in lege Dómini. Et réliqua.

Homilía sancti Joánnis Chrysóstomi

Orat. 7 inter 17 Declam. Patrum, circa medium

Tamétsi virgo nulla purgatióne egéret: áttamen, ne lex calcári viderétur, adduxérunt púerum Jesum in Jerúsalem, ut sísterent eum Dómino, sicut scriptum est in lege Dómini. Ubi corpóreæ expiatiónis méntio habétur, ibi lex Móysi tribúitur: ubi vero oblatiónis sanctæ, ibi, sicut in lege Dómini scriptum est, dícitur. Hoc autem discrímen ea de causa non constitúitur, quasi lex Móysis non sit lex Dómini (quidquid enim Prophéta Spíritu Sancto afflátus, de re quápiam dísserens lóquitur, Dóminus súggerit); nihilóminus, quod expiátio corpóreum typum præ se ferret, Móysis sánctio appellátur.

℟. Suscípiens Jesum in ulnas suas Símeon exclamávit et dixit: * Tu es vere lumen ad illuminatiónem Géntium, et glóriam plebis tuæ Israel. ℣. Cum indúcerent púerum Jesum paréntes ejus, et ipse accépit eum in ulnas suas, et benedíxit Deum, et dixit. - Tu es.

Lectio viii

Contra vero, quod omne primogénitum Dómino sisterétur, Evangelísta, quod primo ex útero enátum erat, honórans, secúndum

legem Dómini sisti pérhibet. Sicut scriptum est in lege Dómini: Omne masculínum adapériens vulvam, sanctum Dómino vocábitur. Hoc decrétum, et hæc lex, tótaque decréti et legis rátio, et causa ob eum pósita est, qui úterum apertúrus erat. Nulla enim sive brutórum animántium, sive hóminum primogénita compérta sunt umquam, quæ aperírent vulvam; quare tantum primogénita erant. Quem autem virgo péperit, is solus úterum apéruit.

℟. **Senex púerum portábat, puer autem senem regébat: * Quem virgo concépit, virgo péperit, virgo post partum, quem génuit, adorávit.** ℣. **Accípiens Símeon púerum in mánibus, grátias agens benedíxit Dóminum. * - Quem. - Glória. - Quem.**

Nona Lectio S. Blasii Ep. et Mart. ut in Breviario, et fit ejus Com. in Laudibus: Ant. **Qui odit,** ℣. **Justus,** Oratio **Deus, qui nos,** de Communi unius Mart.

—✳—

Die 9 Februarii

(Extra Quadrages.)

Medelli (in Civitate)

In Octava PURIFICATIONIS B. MARIÆ VIRGINIS

Duplex majus

In I Vesp. fit Com. præced.: Ant. **Hic vir,** ℣. **Justum,** Oratio **Deus, qui per sanctum.**

Deinde Com. S. Cyrilli Ep. Alexandrini, Conf. et Eccl. Doct.: Ant. **O Doctor,** ℣. **Amávit,** Oratio **Deus, qui beátum.**

Postea in Quadrag. Feriæ.

Demum S. Apolloniæ Virginis et Mart.: Ant. **Veni, sponsa,** ℣. **Spécie,** Oratio **Deus, qui inter cétera.**

In II Nocturno

De Expositióne sancti Gregórii Papæ in libros Regum

In I Regum 1

Lectio iv

Fuit vir unus de Ramáthaim Sophim, de monte Ephraim. Potest hujus montis nómine, beatíssima semper Virgo María, Dei Génitrix, designári. Mons quippe fuit, quæ

omnem eléctæ creatúræ altitúdinem, electiónis suæ dignitáte transcéndit. An non mons sublímis María, quæ ut ad conceptiónem ætérni Verbi pertíngeret, meritórum vérticem supra omnes Angelórum choros, usque ad sólium Deitátis eréxit? Hujus enim montis præcellentíssimam dignitátem Isaías vatícinans, ait: Erit in novíssimis diébus præparátus mons domus Dómini in vértice móntium. Mons quippe in vértice móntium fuit, quia altitúdo Maríæ supra omnes Sanctos refúlsit.

℟. Símeon justus et timorátus exspectábat redemptiónem Israel : * Et Spíritus Sanctus erat in eo. ℣. Respónsum accépit Símeon a Spíritu Sancto, non visúrum se mortem, nisi vidéret Christum Dómini. - Et Spíritus.

Ex Epístola sancti Leónis Papæ ad Pulchériam Augústam Epistola 13 ante med.

Lectio v

Sacraméntum reconciliatiónis nostræ ante témpora ætérna dispósitum, nullæ implébant figúræ: quia nondum supervénerat Spíritus Sanctus in Vírginem, nec virtus Altíssimi obumbráverat ei, ut et intra intemeráta víscera, ædificánte sibi Sapiéntia domum, Verbum caro fíeret, et forma Dei ac forma servi in unam conveniénte persónam, Creátor témporum nascerétur in témpore, et per quem facta sunt ómnia, ipse inter ómnia gignerétur. Nisi enim novus homo, factus in similitúdinem carnis peccáti, nostram suscíperet vetustátem, et consubstantiális Patri, consubstantiális esse dignarétur et matri, naturámque sibi nostram solus a peccáto liber uníret, sub jugo diáboli generáliter tenerétur humána captívitas.

℟. Respónsum accépit Símeon a Spíritu Sancto, non visúrum se mortem, nisi vidéret Christum Dómini: * Et benedíxit Deum, et dixit: Nunc dimíttis servum tuum in pace,

quia vidérunt óculi mei salutáre tuum, Dómine. ℣. Cum indúcerent púerum Jesum paréntes ejus, ut fácerent secúndum consuetúdinem legis pro eo: ipse accépit eum in ulnas suas. - Et.

De Expositióne sancti Basilíi Epíscopi in Isaíam Prophétam

In cap. 8 post initium

Lectio vi

Accéssi, inquit, ad Prophetíssam, et in útero accépit, et péperit fílium. Quod María Prophetíssa fúerit, ad quam próxime accéssit Isaías per prænotiónem spíritus, nemo contradíxerit, qui sit memor verbórum Maríæ, quæ prophético affláta spíritu elocúta est. Quid enim ait? Magníficat ánima mea Dóminum, et exsultávit spíritus meus in Deo salutári meo: quia respéxit humilitátem ancíllæ suæ: ecce enim ex hoc beátam me dicent omnes generatiónes. Quod si ánimum accommodáveris univérsis ejus verbis, non útique per dissídium negáveris eam fuísse Prophetíssam, quod Dómini Spíritus in eam supervénerit, et virtus Altíssimi obumbráverit ei.

℟. Cum indúcerent púerum Jesum paréntes ejus in templum, ut fácerent secúndum consuetúdinem legis pro eo, accépit eum Símeon in ulnas suas, et benedíxit Deum, dicens: * Nunc dimíttis, Dómine, servum tuum in pace. ℣. Suscípiens Símeon púerum in mánibus, exclamávit, dicens. - Nunc. - Glória Patri. - Nunc.

In III Nocturno

Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam

Lectio vii C. 2, 22-32

In illo témpore: Postquam impléti sunt dies purgatiónis Maríæ secúndum legem Móysi, tulérunt Jesum in Jerúsalem, ut sísterent eum Dómino, sicut scriptum est in lege Dómini. Et réliqua.

Homilía sancti Joánnis Chrysóstomi

Orat. 7 inter 17 Declam. Patrum

Lumen ad revelatiónem géntium. Cur

lumen? quia gentes in ténebris versabántur, et quia rursum obscuráta, tetrísque peccatórum ténebris obdúcta, per illud illustránda et expiánda erant. Et glóriam plebis tuæ Israel. Hic glória, illic revelátio, hic doctrínæ inítium, illic disciplínæ prosecútio. Ast objécerit hic forte quíspiam: Dic, quæso, úbinam sunt Israelítæ? Ecce habes Petrum, habes Paulum, habes Joánnem, habes tria míllia, habes quinque míllia, habes ecclésiam Jerosolymitánam, habes eos proptérea Judæos, qui inter Gentes dispérsi fidem suscéperant.

℟. Suscípiens Jesum in ulnas suas Símeon, exclamávit, et dixit: * Tu es vere lumen ad illuminatiónem Géntium, et glóriam plebis tuæ Israel. ℣. Cum indúcerent púerum Jesum paréntes ejus, et ipse accépit eum in ulnas suas et benedíxit Deum, et dixit. - Tu es.

Lectio viii

Itaque asservabátur in pópulo illo fídei semen, neque simul universus pessum ivit, absit: neque simul omnes Judæi in intéritum ruérunt, sed plúrimi. Neque id mirum: nam et nunc quoque in felíci hac rerum constitutióne, beatáque vocatióne, multi quidem sunt vocáti, pauci vero elécti. Non totus ítaque pópulus ille simul intériit, non totus depravátus est, non totus in infidelitáte permánsit, non totus persecútus est Apóstolos. Credidérunt enim per Apóstolos simul tria míllia, extra mulíeres et párvulos, et facta est Jerosólymis Ecclésia ádmodum numerósa.

℟. Senex púerum portábat puer autem senem regébat: * Quem virgo concépit, virgo péperit, virgo post partum, quem génuit, adorávit. ℣. Accípiens Símeon púerum in mánibus, grátias agens benedíxit Dóminum. - Quem. - Glória Patri. - Quem.

Pro S. Cyrillo:

Lectio ix

Cyríllus Alexandrínus, Theóphili epí-

scopi Alexandríni nepos, étiam adoléscens præcelléntis ingénii specímina dedit. Theóphilo vita functo, ad illíus Sedem evéctus, et factus forma gregis ex ánimo, óptimi pastóris glóriam adéptus est. Singuláre ejus pro cathólicæ fídei incolumitáte stúdium enítuit contra Nestórium Constantinopolitánum epíscopum, asseréntem, Jesum Christum ex María Vírgine hóminem tantum et non Deum natum, eíque divinitátem pro méritis esse collátam: cujus emendatiónem cum frustra tentásset, eum sancto Cælestíno Papæ denuntiávit. Hujus Pontíficis delegáta auctoritáte, nonnúllis sessiónibus præfuit concílii Ephesíni, in quo hæresis Nestoriána pénitus proscrípta est, damnátus Nestórius et a sua Sede dejéctus, ac dogma cathólicum de una in Christo eáque divína persóna et divína gloriósæ Vírginis Maríæ maternitáte assértum. De sola fide sollícitus, et proptérea plura perpéssus, máximis pro Ecclésia Dei perfúnctus labóribus, plurimísque scriptis éditis, sancto fine quiévit, anno quadringentésimo quadragésimo quarto, episcopátus trigésimo secúndo.

Te Deum laudámus.

In Laudibus fit Com. S. Cyrilli: Ant. Euge, ℣. Justum.

Deinde post Commemorationem Feriæ in Quadrag. Com. S. Apolloniæ: Ant. Símile est, ℣. Diffúsa.

In Vesp. Com. seq.: Ant. Veni, sponsa ℣. Spécie, Oratio Deus, qui ánimam.

Deinde Com. S. Cyrilli: Ant. O Doctor, ℣. Justum, Oratio Deus, qui beátum.

Postea in Quadragesima Feriæ.

INDEX

—

OFFICIA PROPRIA

DITIONIS COLUMBIANÆ

JUXTA KALENDARIUM

A S. R. C. REVISUM ET ADPROBATUM
DIE 6 FEBRUARII 1914

PARS VERNA

TAURINI
SUMPTIBUS ET TYPIS EQ. PETRI MARIETTI
S. SEDIS APOST. ET S. RITUUM CONGR. TYPOGR.
Domus a. 1862 condita

MCMXIV

Approbatio.

Quum præsens Proprium Officiorum in usum Ditionis Columbianæ concordet cum textu originali rite revisum et adprobatum die 15 Septembris 1914, nihil obstat quominus Rmi Ordinarii ad quos spectat concedant: *Imprimatur;* juxta Decretum diei 3 Junii 1914.

Ex Secretaria Sacrorum Rituum Congregationis, die 15 Septembris 1914.

PH. Can. DI FAVA, Substitutus.

Imprimatur.

Bogotæ, die 11 Novembris 1914.

L. ✠ S.

† BERNARDUS

Archiepiscopus Bogoten.

Imprimatur.

Taurini, die 10 Decembris 1914.

† C. CASTRALE, Vic. Gen.

(14-XII-14-11)

KALENDARIUM PERPETUUM

IN USUM

DITIONIS COLUMBIANÆ

A SACRA RITUUM CONGREG. ADPROBATUM
DIEBUS 8 JAN. 1913 ET 6 FEBR. 1914

Omnia ut in Kalendario Ecclesiæ universalis, præter ea, quæ hic habentur propria:

Aprilis

19
Bogotæ: **Anniversarium Dedicationis Ecclesiæ Cathedralis-Basilicæ, dupl. I cl. cum Oct. communi.**

20
Bogotæ: **De II die infra Octavam, semidupl.**

21 **S. Anselmi Ep., Conf. et Eccl. Doct., dupl.**
Bogotæ: Com. Oct.

22 **Ss. Soteris et Caji Pp. et Mm., semidupl.**
Bogotæ: Com. Oct.

23 **S. Georgii Mart., semidupl.**
Bogotæ: Com. Oct.

24 **S. Fidelis a Sigmaringa Mart., dupl.**
Bogotæ: Com. Oct.

26 **Ss. Cleti et Marcellini Pp. et Mm., semidupl.**
Bogotæ: **Octava Dedicationis Ecclesiæ Cathedralis, duplex maj. Com. Ss. Cleti et Marcellini Pp. et**

27 **S. Thuribii de Mogrovejo Ep. et Conf., dupl. II classis.**

Majus

16 **S. Ubaldi Ep. et Conf., semidupl.**
Neo-Pampilonæ: **S. Joannis Nepomuceni Mart., dupl. maj. Com. S. Ubaldi Ep. et Conf. (semidupl.).**

30 **S. Felicis I Papæ et Mart., simpl.**
Antioquiæ: **S. Ferdinandi Regis, Conf., Patroni principalis Diœcesis, dupl. I classis cum Octava communi.**

31 **S. Angelæ Mericiæ Virg., dupl. Com. S. Petronillæ Virg.**
Antioquiæ: Com. Oct. et S. Petronillæ Virg.

Junius

1
Antioquiæ: De III die infra Octavam, semidupl.
2 Ss. Marcellini etc. Mm., simpl.
Antioquiæ: De IV die infra Octavam, semidupl. Com. Ss. Marcellini et Socior. Mm.
3
Antioquiæ: De V die infra Octavam, semidupl.
4 S. Francisci Caracciolo Conf., dupl.
Antioquiæ: Com. Oct.
5 S. Bonifatii Ep. et Mart., dupl.
Antioquiæ: Com. Oct.
6 S. Norberti Ep. et Conf., dupl.
Antioquiæ: Octava S. Ferdinandi Regis, Conf., dupl. maj. Com. S. Norberti Ep. et Conf. (dupl.).
16 B. Mariæ Virg. de Succursu, dupl. maj.
Socorro: Patronæ principalis Diœcesis, dupl. I classis cum Octava communi.
17
Socorro: De II die infra Octavam, semidupl.
18 Ss. Marci et Marcelliani Mm., simpl.
Socorro: De III die infra Octavam semidupl. Com. Ss. Mm.
19 S. Julianæ de Falconeriis Virg., dupl. Com. Ss. Gervasii et Protasii Mm.
Socorro: Com. Oct. et Ss. Gervasii et Protasii Mm

ARCHIDIŒCESIUM ET DIŒCESIUM DITIONIS COLUMBIANÆ

Præsens Kalendarium, juxta Rubricas et Decreta novissima redactum, Sacra Rituum Congregatio, vigore facultatum sibi specialiter a Sanctissimo Domino nostro Pio Papa X tributarum, revisione rite peracta, recognovit ac probavit, illudque in cunctis Ditionis Columbianæ Archidiœcesibus et Diœcesibus adhiberi mandavit; servatis de cetero Rubricis et Decretis, præsertim quoad Festa Dedicationis et Titularis Ecclesiarum nec non Patronorum cujusque loci. Contrariis non obstantibus quibuscumque.

Die 6 Februarii 1914.

(L. S.) † **PETRUS LA FONTAINE** Ep. Charystien.
Secretarius.

OFFICIA PROPRIA
DITIONIS COLUMBIANÆ

Pars Verna

Die 19 Aprilis

In Archidiœcesi Bogoten.

IN DEDICATIONE ECCLES. METROPOL.

Duplex I classis cum Octava communi (si occurrat post Dom. in Albis)

Omnia ut in Comm. Dedicationis Ecclesiæ

¶ Infra Octav. et in die Octava Antiphonæ et Psalmi ad omnes Horas et Versus Nocturnorum de occurrenti hebdomadæ die; reliqua ut in Festo, præter Lectiones, quæ in I Nocturno dicuntur de Scriptura occurrenti cum suis Responsoriis de Tempore, in II et III pro singulis diebus assignantur propriæ in Breviario.

—✳—

Die 20 Aprilis

In Archidiœcesi Bogoten.

De II die infra Oct. DEDICATIONIS ECCLES. METROPOL.

Semiduplex

Ut in Comm. Dedic. Eccl. in die Festo et in die 2 infra Octav.

—✳—

Die 26 Aprilis

In Archidiœcesi Bogoten.

In Octava DEDICATIONIS ECCLES. METROPOL.

Duplex majus

Ut in Comm. Dedic. Ecclesiæ.

Ant. **Sanctificávit**, ℣. **Hæc est**, Oratio **Deus, qui nobis.**

Deinde Com. S. Cleti et Marcellini Pontificum et Mm.: Ant. **Lux perpétua**, ℣. **Sancti et justi**, Orat. **Beatórum.**

Pro Ss. Cleto et Marcellino:

Lectio ix

Cletus Románus, imperatóribus Vespasiáno et Tito, Ecclésiam gubernávit. Ex præcépto Príncipis Apostolórum, in Urbe vigintiquínque presbyteros ordinávit. Primus in lítteris verbis illis usus est: Salútem et apostólicam benedictiónem. Ecclésia óptime constitúta, Domitiáno imperatóre, secúnda post Neróne persecutióne, martyrio coronátus est et in Vaticáno juxta corpus beáti Petri sepúltus. Marcellínus Románus, in immáni imperatóris Diocletiáni persecutióne Ecclésiæ præfuit. Multas pértulit angústias ob ímprobam eórum severitátem, qui eum redarguébant de nímia indulgéntia erga lapsos in idololatríam, quæque causa fuit, ut per calúmniam infamátus fúerit, quasi thus idólis adhibuísset. Verum hic beátus Póntifex in confessióne fídei, una cum tribus áliis christiánis, Cláudio, Cyríno et Antoníno, cápite plexus Te Deum laudámus.

In Laudibus fit Commemoratio Ss. Cleti et Marcellini: Ant. **Fíliæ Jerúsalem,** ℣. **Pretiósa,** Oratio **Beatórum.**

Vesperæ de sequenti et in Archid. Bogoten. Com. præcedentis.

—✳—

Die 27 Aprilis

S. THURIBII DE MOGROVEJO

Episcopi et Confessoris

Duplex II cl. **(m. t. v.)**

Omnia de Communi Conf. Pont., præter ea, quæ hic habentur propria.

Oratio

Ecclésiam tuam, Dómine, beáti Thuríbii Confessóris tui atque Pontíficis contínua protectióne custódi: ut, sicut illum pastorális sollicitúdo gloriósum réddidit; ita nos ejus intercéssio in tuo semper fáciat amóre fervéntes. Per Dóminum.

In Archidiœc. Bogoten.: Fit Com. præced.: Ant. **O quam metuéndus,** ℣. **Domum,** Orat. **Deus, qui nobis.**

In I Nocturno Lect. **Laudémus** viros, de Communi Conf. Pont. 2 loco.

In II Nocturno

Lectio iv

Thuríbius Alfónsus, ex nóbili Mogrovéja gente Majórgæ in regno Legiónis natus, liberálibus disciplínis et juri canónico Vallisoléti primum, deínde Salmánticæ in majóri collégio Oveténsi sancti Salvatóris ita óperam dedit, ut tamen potiórem témporis partem oratióni aliísque piis et christiánis exercítiis impénderet. Id comprobátum est, cum immíssam in ejus cubículum impudícam mulíerem præcípuus virginitátis sectátor constánti ánimo extémplo éxpulit. Inde jejúniis, vigíliis et próprii córporis castigatióne continuo vitam exércuit, et nudis quoque pédibus Compostéllam ad sancti Jacóbi sepúlchrum peregrinátus est.

℟. **Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum: * Manus enim mea auxiliábitur ei, allelúja.** ℣. **Nihil profíciet inimícus in eo, et fílius iniquitátis non nocébit ei. - Manus.**

Lectio v

A Gregório décimo tértio Limánæ ecclésiæ ex quæstóre fídei invítus præfícitur. Quo in múnere apostólicam sollicitúdinem in nova christianitáte vel solidánda vel ampliánda ádhibens, perfécti præsulis partes explévit. Quare síngulis domínicis diébus vel in ecclésia vel in hospitáli domo, in parvis étiam oppídulis et súbdiu concionabátur plebémque catechísmo instruébat. Synodos étiam diœcesánas et provinciália concília juxta Tridentíni statúta hábuit, et in eis complúra decréta, póstea a Sede apostólica confirmáta, cóndita sunt, quibus modo ecclésia Americána régitur. Hinc morum emendátio, cleri disciplína, júvenum seminária, vírginum ac male nuptárum cœnóbia, ægrotórum xeno-

dochía, aliæque ædes et templa, ejus étiam sumptu constrúcta, emanárunt.

℟. Pósui adjutórium super poténtem, et exaltávi eléctum de plebe mea: * Manus enim mea auxiliábitur ei, allelúja. ℣. Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum. - Manus.

Lectio vi

Diœcésim suam, amplíssimam quidem, incredíbili labóre totam sæpe visitávit, omnésque pene ecclésiæ suæ provéntus in páuperum usus, quos creditóres suos vocábat, erogávit, octingéntis, ut ferunt, hóminum míllibus sacro chrísmate unctis. Innúmeras contradictiónes, sive ab iis, qui foris sunt, propter fidem, sive ab iis, qui intra, propter ecclésiæ libertátem, summa patiéntia sústinens, ácriter deféndit, martyrii cupidíssimus. Tandem sacerdótio et miráculis clarus, quæ étiam post mortem ipsíus sanctitátem comprobárunt, dum própriæ diœcésis visitatióni incúmberet, anno millésimo sexcentésimo sexto, ætátis suæ sexagésimo octávo, sumpto in ecclésia sacro viático, ad mortis núntium exclámans: Lætátus sum in his, quæ dicta sunt mihi: in domum Dómini íbimus, die vigésima tértia Mártii obdormívit in Dómino: quem Innocéntius undécimus in Beatórum númerum rétulit, assignáta ejus festivitáti die vigésima séptima Aprílis. Deínde novis quamplúribus fulgéntem signis, Benedíctus décimus tértius Póntifex Máximus quarto Idus Decémbris anno salútis millésimo septingentésimo vigésimo sexto Sanctórum fastis adscrípsit.

℟. Iste est, qui ante Deum magnas virtútes operátus est, et omnis terra doctrína ejus repléta est: * Ipse intercédat pro peccátis ómnium populórum, allelúja. ℣. Iste est, qui contémpsit vitam mundi, et pervénit ad cæléstia regna. - Ipse. - Glória Patri. - Ipse.

In III Nocturno

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthæum

Lectio vii C. 25, 14-23

In illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis parábolam hanc: Homo péregre proficíscens, vocávit servos suos, et trádidit illis bona sua. Et réliqua.

Homilía sancti Bernárdi Abbátis

Sermo 23 in Cant.

Accípiunt in promissióne, qui bene præsunt, constítui super ómnia bona dómini sui: at pauci profécto, qui utíliter, paucióres, qui et humíliter præsint. Fácile tamen utrúmque adímplet, qui matrem virtútum discretiónem perfécte adéptus, vino nihilóminus caritátis usque ad contémptum própriæ glóriæ, usque ad sui ipsíus obliviónem, et non ad quæréndа, quæ sua sunt, ebriátur, quod solo, ac miro Spíritus Sancti magistério obtinétur.

℟. Amávit eum Dóminus et ornávit eum: stolam glóriæ índuit eum, * Et ad portas paradísi coronávit eum, allelúja. ℣. Induit eum Dóminus lorícam fídei, et ornávit eum. - Et ad portas.

Lectio viii

Virtus autem discretiónis absque caritátis fervóre jacet, et fervor véhemens absque discretiónis temperaménto præcípitat. Ideóque laudábilis, cui néutrum deest, quátenus et fervor discretiónem érigat, et discrétio fervórem regat. Ergo táliter opórtet esse morátum eum, qui præest. Optimum autem in móribus díxerim, et summam disciplínæ hujus perfécte apprehendísse: qui in nullo prorsus aut resístat prióribus, aut invídeat páribus, aut subjéctis, vel desit in cura, vel in supérbia præsit: prælátis obédiens, sóciis cóngruens, súbditis utíliter condescéndens.

℟. Sint lumbi vestri præcíncti, et lucérnæ ardéntes in mánibus vestris: * Et vos símiles homínibus exspectántibus dóminum suum, quando revertá-

tur a núptiis, allelúja. ℣. Vigiláte ergo, quia nescítis qua hora Dóminus vester ventúrus sit. - Et. - Glória. - Et.

Lectio ix

Tímeant clérici, tímeant minístri Ecclésiæ, qui in terris sanctórum, quas póssident, tam iníqua gerunt: et stipéndiis, quæ sufficere debent, mínime conténti, supérflua, quibus egéni sustentándi forent, ímpie, sacrilegéque sibi retíneant et in usus suæ supérbiæ, atque luxúriæ, victum páuperum consúmere non vereántur; dúplici profécto iniquitáte peccántes, quod et aliéna diripiunt, et sacris in suis vanitátibus, et turpitudínibus abutúntur. Te Deum.

In II Vesp. Com. seq. tantum.

Die 16 Maji

Neo-Pampilone

S. JOANNIS NEPOMUCENI Mart.

Duplex majus

In I Vesperis

Antiphonæ et Capitulum de Laudibus.

Psalmi ut in I Vesp. de Comm. App.

Hymnus

Invíctus heros Númi-
nis,
Mergéndus unda flúmi-
nis,
Stat fortis in siléntio,
Dum fit sigílli méntio.

Hinc rex minátur fú-
nera,
Hinc tortor infert vúl-
nera,
Manus ligántur fúni-
bus,
Artus cremántur ígni-
bus.

Sed hæc Joánnes dé-
spicit,
Nec regis iram réspi-
cit,
Secréta non vult pán-
dere,
Horret sigíllum frán-
gere.

Stat mutus agnus
ínnocens,
Nil de tegéndis prófe-
rens:
Stat; dumque rex nil
élicit,
E ponte justum déji-
cit.

Præceps ab alto
stérnitur,
Undis profúndis mér-
gitur:
Mersum sed applau-
déntibus
Undæ salútant ígnibus.

Stellæ natant in flúmine,
Illi paréntant lúmine,
Docétque cæli cláritas
Quæ sit Joánnis cáritas.
Da, sempitérna Trínitas,
Ut in bono sit firmitas:
Aut lacrimárum flúmina
Mergant cadéntum crímina. Amen.

℣. **Sacraméntum regis abscóndere bonum est, allelúja.**

℟. **Opera autem Dei reveláre honoríficum, allelúja.**

Ad Magnif. Ant. **Dedit mihi Dóminus linguam mercédem meam: et in ipsa laudábo eum, allelúja.**

Oratio

Deus, qui ob invíctum beáti Joánnis sacramentále siléntium nova Ecclésiam tuam martyrii coróna decorásti: da, ut ejus exémplo et intercessióne, ori nostro custódiam ponéntes, beátis, qui lingua non sunt lapsi, annumerémur. Per Dóminum.

Et fit Com. præced.: Ant. **Hic vir,** ℣. **Justum,** Oratio **Deus, qui ad christiánam.**

Deinde sancti Ubaldi Episcopi et Conf.: Ant. **Sacérdos et Póntifex,** ℣. **Amávit,** Oratio **Auxílium tuum.**

Completor. de Feria.

Ad Matutinum

Invit. **Exsúltent in Dómino Sancti, * Allelúja.**

Ps. 94 **Venite, exsultémus.**

Hymnus

In profúnda noctis umbra
Et gravi calígine
Lustrat ædem flamma munda,
Sic jubénte Númine.
Nocte náscitur Joánnes,
Astra cælo dévolant:
Nocte mérgitur Joánnes,
Astra funus ápparant.
Hinc cor ejus igne flagrans
Fortis urit cáritas:
Hinc ab ejus ore manans
Mira prodit suávitas.
Nunc amóre cor bonórum
Ad salútem pértrahit:
Nunc timóre cor malórum
A gehénna rétrahit.

Páuperes solátur ære,
Derelíctis súbvenit:
Non sinit justos jacére,
Damna famæ præpedit.
Per Joánnis sanctitátem,
O beáta Trínitas,
Méntibus da puritátem,
Corde regnet cáritas.
Amen.

In I Nocturno

Ant. **Erit lumen Israel in igne; et Sanctus ejus in flamma, allelúja.**

Psalmi trium Nocturnorum ut in Communi unius Martyris.

℣. **Sacraméntum regis abscóndere bonum est, allelúja.** ℟. **Opera autem Dei reveláre honoríficum, allelúja.**

De libro Ecclesiástici
Lectio i C. 21, 26-31

Stultus a fenéstra respíciet in domum: vir autem erudítus foris stabit. Stultítia hóminis auscultáre per óstium: et prudens gravábitur contumélia. Lábia imprudéntium stulta narrábunt: verba autem prudéntium statéra ponderabúntur. In ore fatuórum cor illórum: et in corde sapiéntium os illórum. Dum maledícit ímpius diábolum, maledícit ipse ánimam suam. Susúrro coinquinábit ánimam suam, et in ómnibus odiétur: et qui cum eo mánserit, odiósus erit: tácitus et sensátus honorábitur.

℟. **Metuébat rex Joánnem, * Sciens eum virum justum et sanctum, allelúja.** ℣. **Et custodiébat eum, et audíto eo multa faciébat, et libénter eum audiébat. - Sciens.**

Lectio ii C. 28, 21-25

Flagélli plaga livórem facit: plaga autem linguæ comminuet ossa. Multi cecidérunt in ore gládii, sed non sic quasi qui interiérunt per linguam suam. Beátus qui tectus est a lingua nequam, qui in iracúndiam illíus non transívit, et qui non attráxit jugum illíus, et in vínculis ejus non est ligátus: jugum enim illíus, jugum férreum est: et vínculum illíus, vínculum æreum est.

Mors illíus, mors nequíssima: et útilis pótius inférnus quam illa.

℟. Lex veritátis fuit in ore ejus, et iníquitas non est invénta in lábiis ejus: in pace et in æquitáte ambulávit mecum: * Et multos avértit ab iniquitáte, allelúja. ℣. Lábia enim sacerdótis custódient sciéntiam, et legem requírent ex ore ejus. - Et multos.

Lectio iii C. 28, 26-30

Perseverántia illíus non permanébit, sed obtinébit vias injustórum: et in flamma sua non combúret justos. Qui relínquunt Deum, íncident in illam, et exardébit in illis, et non exstinguétur, et immittétur in illos quasi leo, et quasi pardus lædet illos. Sepi aures tuas spinis, linguam nequam noli audíre, et ori tuo fácito óstia, et seras. Aurum tuum et argéntum tuum confla, et verbis tuis fácito statéram, et frenos ori tuo rectos: et atténde ne forte labáris in lingua, et cadas in conspéctu inimicórum insidiántium tibi, et sit casus tuus insanábilis in mortem.

℟. Sepívi aures meas spinis, * Et ori meo feci óstia et seras, allelúja. ℣. Beátus qui lingua sua non est lapsus, et qui non servívit indígnis se. - Et ori. - Glória Patri. - Et ori.

In II Nocturno

Ant. Non quæsívit a Dómino ducátum, neque a rege cáthedram honóris, allelúja.

℣. Pone, Dómine, custódiam ori meo, allelúja. ℟. Et óstium circumstántiæ lábiis meis, allelúja.

Lectio iv

Joánnes Nepomúci Bohémiæ óppido, unde Nepomucéni cognómen duxit, a paréntibus ætáte provéctis, non sine futúræ sanctitátis præságio, flammis supra nascéntis domum mirabíliter collucéntibus, ortus est. Cum infans in gravem morbum incidísset, beátæ Vírginis ope, cui natum paréntes referébant accéptum, e vitæ perículo evásit incólu-

mis. Egrégia indole, piáque institutióne cæléstibus indíciis obsequénte, inter sanctas religiosásque exercitatiónes pueritiam egit; nam ecclésiam frequénter adíre, ac sacerdótibus ad aras operántibus ministráre in delíciis habébat. Zatécii politióribus lítteris ad humanitátem informátus, Pragæ vero gravióribus disciplínis excúltus, philosóphiæ, theológiæ, sacrorúmque cánonum magistérium et láuream eméruit. Sacerdótio initiátus, atque a sciéntia Sanctórum ad lucra animárum rite comparátus, ministério verbi Dei se pénitus addíxit. Cum ígitur in vítiis exstirpándis, et revocándis in viam salútis errántibus, eloquéntia et pietáte úberes éderet fructus, inter canónicos metropolitánæ Ecclésiæ Pragénsis cooptátus, mox sibi demandátam Evangélii coram rege Wencesláo quarto prædicándi provínciam suscépit, eo succéssu, ut Joánnis suásu multa rex fáceret, magnóque in honóre ejus virtútes habéret. Conspícuas tamen, quas ille óbtulit dignitátes, Dei servus, ne a divíni verbi præcónio avocarétur, constantíssime recusávit.

℟. Instans oratióni et ministério verbi, hortabátur omnes in propósito cordis permanére in Dómino: * Quia erat vir bonus, et plenus Spíritu Sancto, allelúja. ℣. Et apponebátur multa turba Dómino. - Quia.

Lectio v

Régiis illum eleemósynis in páuperes erogándis præféctum, Joánna regína consciéntiæ sibi moderatórem ascívit. Cum autem Wencesláus ab officio institutóque decessísset, atque in vítia præceps abriperétur; piæ autem cónjugis obtestatiónes et mónita graváte ferret, conténdere ausus est, ut in sacramentáli judício sacerdóti crédita regínæ arcána sibi a Joánne panderéntur. At Dei miníster blandítiis primum, torméntis

deinde, et cárceris squalóre tentátus, nefáriæ regis cupiditáti fórtiter óbstitit. Furéntem tamen Wenceslái ánimum cum ab exsecrándo propósito nec humána nec divína jura deterrérent, suprémum agónem, quem instáre sibi athléta Christi nóverat, pópulo in concióne de impendéntibus étiam regni calamitátibus admónito, non obscúre prænuntiávit. Mox Boleslámiam proféctus, ad beátæ Vírginis imáginem antíquo cultu célebrem, cæléste præsídium ad certándum bonum certámen effúsis précibus implorávit. Inde véspere reverténtem in pervigílio Domínicæ Ascensiónis rex e fenéstra conspicátus arcéssit; cumque veheméntius urgéret, et próximam in aquis, si obluctári pérgeret, submersiónem intentáret, Joánnes invícta constántia terróres minásque refutávit. Itaque regis império in Moldávam flumen Pragam intérfluens noctu dejéctus, illústrem martyrii corónam est consecútus.

℟. Dispérsit, dedit paupéribus: * Justítia ejus manet in sæculum sæculi, allelúja. ℣. Beátus qui intélligit super egénum et páuperem. - Justítia.

Lectio vi

Sacrílegum fácinus clam patrátum, et Mártyris glóriam insígne prodígium divínitus patefécit. Ubi enim exánime corpus secúndo flúmine vehi cœpit, ardéntes faces aquis supernatántes et discurréntes apparuérunt. Quam ob rem ex aréna postrídie mane corpus elátum, canónici deínde, regis iram nihil timéntes, in metropolitánam ecclésiam solémni pompa intulérunt, et sepultúræ mandárunt. Cum autem in dies invícti sacerdótis memória miráculis, et máxima fidélium, eórum præcípue qui fama periclitántur, veneratióne crésceret, post annos demum ámplius trecéntos, in jurídica recognitióne córporis, quod sub humo támdiu

jacúerat, lingua ejus incorrúpta et vívida repérta est: quæ sexto post anno judícibus a Sede apostólica delegátis exhíbita, novo prodígio repénte intúmuit, et subobscúrum rubórem in purpúreum commutávit. His ítaque aliísque signis rite probátis, Benedíctus decimustértius Póntifex Máximus die decimanóna mensis Mártii, anno salútis millésimo septingentésimo vigésimo nono, primum hunc sacramentális sigílli assertórem, arcáni fidem sánguine obsignántem, sanctórum Mártyrum catálogo adscrípsit.

℟. Ego scio, quóniam intrábunt post discessiónem meam lupi rapáces in vos, non parcéntes gregi: * Propter quod vigiláte, allelúja. ℣. Et ex vobis ipsis exsúrgent viri loquéntes pervérsa, ut abdúcant discípulos post se. - Propter. - Glória Patri. - Propter.

In III Nocturno

Ant. Igne me examinásti, et non est invénta in me iníquitas, allelúja.

℣. Dixi: Custódiam vias meas, allelúja.

℟. Ut non delínquam in lingua mea, allelúja.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthæum

Lectio vii C. 11, 2-10

In illo témpore: Cum audísset Joánnes in vínculis ópera Christi, míttens duos de discípulis suis, ait illi: Tu es, qui ventúrus es, an álium exspectámus? Et réliqua.

Homilía sancti Gregórii Papæ

Homil. 6 in Evang.

Dimíssis Joánnis discípulis, quid de eódem Joánne turbis dicat, audiámus. Quid exístis in desértum vidére? Arúndinem vento agitátam? Quod vidélicet non asseréndo, sed negándo íntulit. Arúndinem quippe mox ut aura contígerit, in partem álteram infléctit. Et quid per arúndinem nisi carnális ánimus designátur? Qui mox ut favóre vel detractióne tángitur, statim in partem quámlibet inclinátur. Si enim

ab humáno ore aura favóris fláverit, hilaréscit et extóllitur: sed si inde ventus detractiónis erúperit, unde aura laudis veniébat, mox hunc quasi in partem álteram ad vim furóris inclínat.

℟. Cum corriperétur ab illo de ómnibus malis quæ fecit rex, adjécit et hoc: * Et inclúsit Joánnem in cárcere, allelúja. ℣. Labóro usque ad víncula, quasi male óperans: sed verbum Dei non est alligátum. - Et inclúsit.

Lectio viii

Sed arúndo agitáta vento Joánnes non erat: quia hunc nec blandum grátia, nec cujúslibet detractiónis ira ásperum faciébat: nec próspera hunc erígere, nec advérsa nóverant inclináre. Arúndo ergo vento agitáta non erat, quam a status sui rectitúdine nulla rerum varíetas inflectébat. Discámus ergo, fratres caríssimi, arúndinem vento agitátam non esse: solidémus ánimum inter auras linguárum pósitum: stet inflexíbilis status mentis. Nulla nos detráctio ad iram próvocet, atque ad remissiónem inútilis grátiæ nullus favor inclínet. Non nos próspera élevent, non advérsa pertúrbent: ut qui in soliditáte fídei fígimur, nequáquam rerum transeúntium mobilitáte moveámur.

℟. Réddidit Deus justo mercédem labórum suórum, et dedúxit illum in via mirábili: * Et fuit illi in velaménto diéi, et in luce stellárum per noctem, allelúja. ℣. Transvéxit illum per aquam nímiam; inimícos autem illíus demérsit. - Et fuit. - Glória Patri. - Et fuit.

Pro S. Ubaldo:

Lectio ix

Ubáldus, Eugúbii in Umbria nóbili génere natus, a primis annis pietáte et lítteris egrégie est institútus; jamque adoléscens, ut uxórem dúceret, sæpe tentátus, numquam tamen a propósito servándæ virginitátis recéssit. Sacérdos effé-

ctus, patrimónium suum paupéribus et ecclésiis distríbuit. Canonicórum regulárium órdinis sancti Augustíni institútum suscípiens, illud in pátriam tránstulit. Ab Honório secúndo summo Pontífice Ecclésiæ Eugubínæ invítus præfícitur, et episcopális consecratiónis múnere decorátur. Factus forma gregis ex ánimo, de consuéta vivéndi ratióne nihil ádmodum immutávit, et in omni virtútum génere enítuit. Diútius infirmitátibus afflíctus, Deo indesinénter grátias agébat. Quum multis annis ecclésiam sibi commíssam summa cum laude gubernásset, sanctis opéribus et miráculis clarus quiévit in pace.

Te Deum laudámus.

Ad Laudes

Ant. 1 Interrogábat eum * rex multis sermónibus: at ipse nihil illi respondébat, allelúja.

Ps. de Dom. 1 loco.

2 Rex dixit: * Ne abscóndas a me verbum, quod te intérrogo. Dixi: Secrétum meum mihi, secrétum meum mihi, allelúja.

3 Affirmábat rex, * se dívitem, et beátum factúrum. Non obédio præcépto regis, sed præcépto legis, quæ data est nobis, allelúja.

4 Tunc rex, accénsus ira, * in hunc super omnes crudélius desæviit, allelúja.

5 Beátus * qui lingua sua non est lapsus, et qui non servívit indígnis se, allelúja.

Capit. Eccli. 21, 28-29

Lábia imprudéntium stulta narrábunt: verba autem prudéntium statéra ponderabúntur. In ore fatuórum cor illórum: et in corde sapiéntium os illórum.

Hymnus

Vix in sepúlchro cónditur,
Signis Joánnes próditur,
Per crátium repágula
Intérmicant mirácula.

Hic ejus hostes íllico
Pudóre mæsti público,
Ultríce dextra Núminis,
Pœnas repéndunt críminis.

Hic damna rerum fléntibus,
Famæve conquerénti-bus,
Abdúcta res revértitur,
Abláta fama rédditur.
Hic corpus ægritúdi-nes,
Tempus vicissitúdines,
Perículum secúritas,
Mortem fugit mortáli-tas.
Hic viva lingua Már-tyris,
Sed muta voce sángui-nis
Clamans, ut Abel, ím-probat,
Regíque crimen éxpro-brat.
Uníus, o, da, Tríni-tas,
Triúmque simplex U-nitas,
Ut, qui Joánni súppli-cant,
Id ímpetrent, quod flá-gitant. Amen.

℣. **Pósui ori meo cu-stódiam, allelúja.**

℟. **Cum consísteret peccátor advérsum me, allelúja.**

Ad Bened. Ant. **Qui-cúmque glorificáverit me, glorificábo eum: qui autem contémnunt me, erunt ignóbiles, al-lelúja.**

Oratio

Deus, qui ob invíctum beáti Joánnis sacramentále siléntium nova Ecclésiam tuam martyrii coróna decorásti: da, ut ejus exémplo et intercessióne, ori nostro custódiam ponéntes, beátis, qui lingua non sunt lapsi, annumerémur. Per Dóminum.

Et fit Commemoratio S. Ubaldi: Ant. **Euge,** ℣. **Justum,** Oratio **Auxílium tuum.**

Ad Horas Ant. et Psalmi de Feria curr., ad Primam Lectio brevis **Aurum,** ut infra ad Nonam, ad reliquas Horas Capit. et ℟℟. br. ut infra.

Ad Tertiam

Capit. **Lábia,** ut supra ad Laudes.

℟. br. **Sacraméntum regis abscóndere bonum est, * Allelúja, allelúja. - Sacraméntum.** ℣. **Opera autem Dei reveláre honoríficum. - Allelúja, allelúja. - Glória Patri. - Sacraméntum.**

℣. **Pone, Dómine, custódiam ori meo, allelúja.** ℟. **Et óstium**

circumstántiæ lábiis meis, allelúja.

Ad Sextam

Capit. Eccli. 28, 28

Sepi aures tuas spinis, linguam nequam noli audíre, et ori tuo fácito óstia, et seras.

℟. br. **Pone, Dómine, custódiam ori meo, * Allelúja, allelúja. - Pone.** ℣. **Et óstium circumstántiæ lábiis meis. - Allelúja, allelúja. - Glória Patri. - Pone.**

℣. **Dixi: Custódiam vias meas, allelúja.**

℟. **Ut non delínquam in lingua mea, allelúja.**

Ad Nonam

Capit. Eccli. 28, 29-30

Aurum tuum et argéntum tuum confla, et verbis tuis fácito statéram, et frenos ori tuo rectos: et atténde, ne forte labáris in lingua.

℟. br. **Dixi: Custódiam vias meas, * Allelúja, allelúja. - Dixi.** ℣. **Ut non delínquam in lingua mea. - Allelúja, allelúja. - Glória Patri. - Dixi.**

℣. **Pósui ori meo custódiam, allelúja.**

℟. **Cum consísteret peccátor advérsum me, allelúja.**

In II Vesperis

Ant. et Capitulum de Laudibus.

Psalmi ut in I Vesp. de Communi Apostolorum et loco ultimi Ps. 115 Crédidi, ut in Vesperis Feriæ II.

Hymnus

Jam faces lictor ferat, et minántem
Jam ferox ensem, rabidúmque tortis
Vínculis ferrum, sacra ni sacérdos
Abdita pandat.

Séntiet vires, animæque magnæ
Pródigum pectus: violéntus ira
Non quatit recti sólida tenácem
Mente satélles.

En ruit præceps tumulátus unda
Martyr, et fluctu plácido siléntem
Náufragus linguam melióris ævi
Servat in usum.

At superjéctæ fácili natántes
Amne discúrrunt, rutilántque circa

Mártyrem flammæ: bene gesta plaudens
Ornat Olympus.
Ornat et linguam, rósei instar ignis,
Vívidam servans, et adhuc rubéntem,
Indicat, quænam fúerit tacéntis
Grátia linguæ.
Sit decus Patri, genitæque Proli,
Spíritum laudent, ab utróque puris
Qui calet flammis, sine fine psallens
Orbis utérque.
Amen.

℣. **Pósui ori meo custódiam, allelúja.**

℟. **Cum consísteret peccátor advérsum me, allelúja.**

Ad Magnif. Ant. **In conspéctu poténtium admirábilis ero, et fácies príncipum mirabúntur me: tacéntem me sustinébunt, et loquéntem me respícient, allelúja.**

Et fit Com. seq.: Ant. **Similábo**, ℣. **Amávit**, Oratio **Deus, qui beátum.**

Deinde Com. S. Ubaldi: Ant. **Amávit**, ℣. **Justum dedúxit**, Oratio **Auxílium.**

Completor. de Feria.

Die 30 Maji

Antiochiæ:

S. FERDINANDI

Regis, Conf.
Patr. princ. Diœc.

Duplex I classis
cum Octava communi

Omnia de Communi Conf. non Pont. præter ea, quæ hic habentur propria.

Oratio

Deus, qui beáto Confessóri tuo Ferdinándo præliári prælia tua, et fídei inimícos superáre dedísti: concéde; ut ejus nos intercessióne muníti, ab hóstibus mentis et córporis liberémur. Per Dóminum nostrum.

In I Noct. Lectiones **Beátus vir**, de eodem Comm. 1 loco.

In II Nocturno

Lectio iv

Ferdinándus tértius, Castéllæ et Legiónis rex, cui Sancti cognoméntum jam inde a quátuor sæculis ecclesiasticórum et sæcu-

lárium consénsus dedére, tantum prudéntiæ adoléscens adhuc spécimen præbuit, ut Berengária mater, Castéllæ regína, a qua persáncte educátus fúerat, abdicátum a se regnum in filium transtúlerit. In eo, adjúnctis regni curis, régiæ virtútes emicuére: magnanímitas, cleméntia, justítia, et præ céteris cathólicæ fídei zelus, ejúsque religiósi cultus tuéndi ac propagándi ardens stúdium. Id præstitit in primis hæréticos insectándo, quos núllibi regnórum suórum consístere passus, própriis ipse mánibus ligna comburéndis damnátis ad rogum advehébat. Præstitit ínsuper in erigéndis, dotándis, et consecrándis christiáno ritu Cordubénsi, Giennénsi, Hispalénsi, et aliárum úrbium ecclésiis, Máurico ereptárum jugo, simúlque in instaurándis primáriis templis Toletáno, Burgénsi, et áliis pia et régia munificéntia.

℟. Honéstum fecit illum Dóminus, et custodívit eum ab inimícis, et a seductóribus tutávit illum: * Et dedit illi claritátem ætérnam, allelúja. ℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas, et osténdit illi regnum Dei. - Et dedit.

Lectio v

Inter hæc per Castéllæ et Legiónis regnum, in quo patri Alfónso succésserat, colléctis magnis exercítibus, ánnuas expeditiónes contra Saracénos, christiáni nóminis hostes, suscépit. In quibus, ut semper vínceret, præcípui exércitus fuére preces piíssimi regis ad Deum fusæ, et quod ante pugnam, ut sibi Deum propitiáret, flagris in se sæviébat, atque áspero cilício muniébat corpus: sicque insígnes contra ingéntes MauRórum ácies victórias reportávit, et plures urbes christiáno cúltui imperióque restítuit; et conquisítis Giénnii, Córdubæ et Múrciæ regnis, ac Granaténsi vectigáli facto, ad expugnándam Híspalim primáriam Bœticæ ur-

bem, hortánte in visióne (ut tráditum est) beáto Isidóro, olim illíus urbis Epíscopo, victrícia signa tránstulit. In ea obsidióne, ut fertur, præséntem divínam opem hábuit: nam férream caténam, quæ super Bœtim transvérsim exténsa Mahometánis pro repágulo erat, coórto validióri vento, una ex návibus régiis, regis jussu eo deláta, tanto ímpetu fregit, ut lóngius prætervécta pontem quoque lígneum, et simul spes Maurórum obrúperit, et ad deditiónem coégerit.

℟. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum: stolam glóriæ índuit eum, * Et ad portas paradísi coronávit eum, allelúja. ℣. Induit eum Dóminus lorícam fídei, et ornávit eum. - Et.

Lectio vi

Tot victórias beátæ Vírginis Maríæ patrocínio ferébat accéptas, cujus imáginem secum in castris habens, peculiári cultu prosequebátur. Capta Híspali, prima religiónis cura fuit; nam templum Maurórum expiátum, et Christianórum dedicátum sacris, insígni archiepiscopátu, et honestíssimo canonicórum et dignitátum collégio, régia et religiósa liberalitáte exornávit. Alia deínde in urbe templa et cœnóbia eréxit: inter quæ pietátis offícia, dum trajícere in Africam parat, Mahometánum in ea impérium eversúrus, ad cæléstem régiam vocátur. In extrémo vitæ agóne sacram Eucharístiam pro viático allátam, fune ad collum alligáto, et humi stratus, cum lácrimis ubértim fusis adórans, eáque dignis reveréntiæ, humilitátis, et cathólicæ fídei obtestatiónibus accépta, obdormívit in Dómino. Jacet ejus corpus incorrúptum adhuc post quátuor sæcula in templo máximo Hispalénsi, honorificentíssimo inclúsum sepúlchro.

℟. Iste homo perfécit ómnia quæ locútus est ei Deus, et dixit ad eum: Ingrédere in

réquiem meam: * Quia te vidi justum coram me ex ómnibus géntibus, allelúja. ℣. **Iste est, qui contémpsit vitam mundi, et pervénit ad cæléstia regna. - Quia. - Glória Patri. -**

In III Noct. Homilia in Evang. **Nolite timére,** de eodem Communi 2 loco.

In II Vesp. Com. seq. tantum.

¶ Infra Oct. et in die Oct. Ant. et Ps. ad omnes Horas et Versus Nocturnorum de occurrenti hebdomadæ die, ut in Psalterio; Oratio ut in Festo, reliqua de Comm. Conf. non Pont. præter Lectiones, quæ in I Noct. dicuntur de Script. occurrenti cum suis ℟℟. de Temp. in II et III pro singulis diebus assign. propr.

—✳—

Die 1 Junii

Antiochiæ:

De III die infra Oct. S. FERDINANDI

Semiduplex

In II Noct. Lectiones **Beáti Ferdinándi dies,** de Comm. Conf. non Pont. 1 loco.

In III Nocturno

Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam

Lectio vii C. 12, 32-34

In illo témpore: **Dixit Jesus discípulis suis: Nolíte timére pusíllus grex, quia complácuit Patri vestro dare vobis regnum. Et réliqua.**

Homilía sancti Fulgéntii Epíscopi

Sermo de Confessor.

Si non omnes possunt implére, quod Dóminus ait: Véndite, quæ possidétis; illud tamen, quod adjécit, dicens: Date eleemósynam; ómnibus est possíbile, si adsit bona volúntas; ómnibus fácile, si non adsit dira cupíditas; ómnibus salúbre, si férveat cáritas; cunctis debet esse commúne, ut ómnibus donétur ætérna felícitas. Qui ergo tantam virtútem accépit a Dómino, ut ómnia, quæ in mundo sunt, cæléstis regni amóre contémnat, quæ habet vendat, et egénis expéndat; qui vero tantæ virtútis nondum est, de his quæ habet, in quantum

habet, eleemósynam fáciat.

℟. Iste est, qui ante Deum magnas virtútes operátus est, et de omni corde suo laudávit Dóminum: * Ipse intercédat pro peccátis ómnium populórum, allelúja. ℣. Ecce homo sine queréla, verus Dei cultor, ábstinens se ab omni ópere malo, et pérmanens in innocéntia sua. - Ipse.

Lectio viii

Perféctus possídeat primum virtútis locum, imperféctus saltem pervéniat ad secúndum. Efficiátur ille glorióse dignus, sit iste laudabíliter largus. Sit ille sanctæ paupertátis ardentíssimus amátor, sit iste sanctórum páuperum piíssimus consolátor. Hábeat iste apud Deum patrónos páuperes, quos ille se gaudet virtútis habére consórtes. Sit ille talis, qui cum Dómino judicatúrus sédeat: sit iste talis, qui ad déxteram judicándus assístat. Sit ille talis, qui ætérna tabernácula perpétuo jure possídeat: sit iste talis, quem ille recípiat.

℟. Sint lumbi vestri præcíncti, et lucérnæ ardéntes in mánibus vestris: * Et vos símiles homínibus exspectántibus dóminum suum, quando revertátur a núptiis, allelúja. ℣. Vigiláte ergo, quia nescítis qua hora Dóminus vester ventúrus sit. - Et vos. - Glória Patri. - Et vos.

Lectio ix

Thesáurum nostrum, fratres, in cælis ponámus, ut étiam cor nostrum in cælis habére possímus. Necésse est enim, ut quo præcésserit dilectiónis thesáurus, illuc étiam cogitatiónis sequátur afféctus. Ideo Véritas ait: Ubi enim thesáurus vester est, ibi et cor vestrum erit. Ut ergo in cælis thesaurizémus, cæléstia diligámus. Vis nosse ubi thesaurízas? atténde quid amas. Vis nosse, quid amas? atténde quid cógitas. Ita fiet, ut thesáurum tuum ex tuo amóre cognóscas, et amórem tuum judício tuæ cogitatiónis intélligas.

Te Deum laudámus.

Vesp. de Oct. Com. Ss. Marcellini et Sociorum Martyrum.

—⁂—

Die 2 Junii

Antiochiæ:

De IV die infra Oct. S. FERDINANDI

Semiduplex

In Vesperis pro Com. Ss. Marcellini et Sociorum: Ant. **Lux perpétua**, ℣. **Sancti et justi**, Oratio **Deus, qui nos ánnua.**

In II Nocturno

Sermo sancti Joánnis Chrysóstomi

De S. Philogonio ante medium

Lectio iv

Ad hanc beátam réquiem tránsiit beátus Ferdinándus. Quænam ígitur orátio par sit viri láudibus, quem Deus tam felíci sorte dignátus est? Non est ulla. Sed age, dic mihi, num idcirco silébimus? et cujus rei grátia convénimus? An dicémus non haud posse magnitúdinem gestórum oratióne cónsequi? Atqui ob hoc ipsum necésse est dícere; quandóquidem hæc est præcípua laudum illíus pars, quod factis verba æquiparári non possint. Nam quorum benefácta natúram étiam súperant mortálem, perspícuum est, quod horum laudes excédunt linguam humánam. Haud tamen ob id aspernábitur offícium nostrum, quod pro víribus præstámus, sed suum imitábitur Dóminum; síquidem et ille víduæ duos tantum óbolos dejiciénti in gazophylácium non tantum duórum obolórum mercédem sed multo ámplius réddidit.

℟. **Honéstum fecit illum Dóminus, et custodívit eum ab inimícis, et a seductóribus tutávit illum: * Et dedit illi claritátem ætérnam, allelúja.** ℣. **Justum dedúxit Dóminus per vias rectas, et osténdit illi regnum Dei. - Et dedit.**

Lectio v

Proinde quamvis nostræ facultátes exíguæ sint minimíque prétii, áttamen, quæ póssumus, offérimus. Et licet non respóndeant magnitúdini me-

ritórum ánimæ præcléri justíque Ferdinándi, tamen hoc ipsum celsitúdinis illíus máximum fúerit arguméntum, quod nec pusílla repéllat, sed idem fáciat, quod solent dívites. Síquidem illi, cum accéperint a tenúibus exígua, quibus non egent, sua vicíssim appónunt remunerántes eos, qui, quod póterant, obtúlerint. Itidem et hic, cum accéperit a nobis laudem verbis peráctam, qua nequáquam eget, redonábit nobis per ipsa facta benedictiónem, qua semper uti possímus.

℟. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum: stolam glóriæ induit eum, * Et ad portas paradísi coronávit eum, allelúja. ℣. Induit eum Dóminus lorícam fídei, et ornávit eum. - Et.

Lectio vi

Unde ígitur laudatiónem illíus auspicábimur? An a magistrátu, quem spíritus illi trádidit grátia? Nam mundáni magistrátus nequáquam possunt christianórum demonstráre virtútes, quin pótius frequénter habent accusatiónem malítiæ. Quam ob causam? quóniam et sollicitúdines amicórum et circumcursatiónes et adulatiónes aliáque permúlta his fœdióra tales magistrátus solent conciliáre. Céterum ubi Deus suo suffrágio designárit áliquem, incorrúptum suffrágium, aliénum ab omni suspicióne judícium, indubitáta fúerit delécti comprobátio, propter ejus, qui delégit, auctoritátem.

℟. Iste homo perfécit ómnia quæ locútus est ei Deus, et dixit ad eum: Ingrédere in réquiem meam: * Quia te vidi justum coram me ex ómnibus géntibus, allelúja. ℣. Iste est, qui contémpsit vitam mundi, et pervénit ad cæléstia regna. - Quia. - Glória. - Quia.

In III Nocturno

Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam

Lectio vii C. 12, 32-34

In illo témpore: Dixit Jesus discípulis su-

is: Nolíte timére pusíllus grex, quia complácuit Patri vestro dare vobis regnum. Et réliqua.

Homilía sancti Petri Chrysólogi

Sermo 22

Præmia statuúntur iis semper, quibus certámina dura proponúntur: ac pro magnitúdine certáminis, præmii propónitur magnitúdo. Hinc est, quod discípulis suis Christus regnum ponit in præmio, ut in certámine non cedant perículis, non timóri. Perícula déspicit, qui tendit ad regnum: victóriæ cúpidus nescit timére. Nolíte timére, inquit, pusíllus grex: quia complácuit Patri vestro dare vobis regnum. Grex pusíllus mundo, magnus Deo: pusíllus, quia gloriósos vocat eos, quos instítuit ad óvium innocéntiam, et mansuetúdinem christiánam.

℟. Iste est, qui ante Deum magnas virtútes operátus est, et de omni corde suo laudávit Dóminum: * Ipse intercédat pro peccátis ómnium populórum, allelúja. ℣. Ecce homo sine queréla, verus Dei cultor, ábstinens se ab omni ópere malo, et pérmanens in innocéntia sua. - Ipse.

Lectio viii

Adjécit quid faciéndum sit regnatúris: Véndite, quæ possidétis. Non potest dominári ómnibus, nisi is, qui própriis non tenétur. Dejéctæ mentis est, qui familiáris rei méminit, cum vocátur ad regnum; jacens ánimus plebéjus númmulum thesáuris regálibus antepónit. Pauper sensus parvis íncubans, perdit magna: et ínhians temporálibus, déserit sempitérna. Homo, tali mónitu Christus te ditáre vóluit, non nudáre: manére tibi tua vóluit, non períre: perpetuári, non vacuári sácculos imperávit: jussit te transférre, non pérdere.

℟. Sint lumbi vestri præcíncti, et lucérnæ ardéntes in mánibus vestris: * Et vos símiles homínibus exspectántibus dóminum

suum, quando revertátur a núptiis, allelúja. ℣. Vigiláte ergo, quia nescítis qua hora Dóminus vester ventúrus sit. - Et vos. - Glória Patri. - Et vos.

IX Lectio de Ss. Marcellino et Sociis Mm., ut in Breviario, et fit eorumdem Commemoratio in Laud.: Ant. **Fíliæ Jerúsalem**, ℣. **Pretiósa**, Oratio **Deus, qui nos ánnua.**

—✳—

Die 3 Junii

Antiochiæ:

De V die infra Oct. S. FERDINANDI

Semiduplex

In II Nocturno

De Sermóne sancti Joánnis Chrysóstomi

Unde supra, paulo post

Lectio iv

Quantum autem sit pietátis arguméntum, quod Deus illum tanto magistrátu dignum judicárit, audi. Christus excitátus a morte quid dicit Petro? Postquam enim illum interrogásset: Petre, amas me? isque respondísset: Tu, Dómine, scis quod amo te; dicit illi: Si díligis me, pasce oves meas. Hoc autem dicébat, non solum ut nobis certíssime declaráret quantópere ipsum dilígeret Petrus; verum étiam, ut palam fáceret quantam habéret benevoléntiam erga suas oves. Itaque si quis volúerit illi commendátus esse, curam hábeat óvium illíus, públicam quærat utilitátem, fratrum suórum salúti prospíciat.

℟. Honéstum fecit illum Dóminus, et custodívit eum ab inimícis, et a seductóribus tutávit illum: * Et dedit illi claritátem ætérnam, allelúja. ℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas, et osténdit illi regnum Dei. - Et dedit.

Lectio v

Nullum enim officium hoc Deo cárius est, et ob id alícubi dicit: Simon, Simon, expetívit te sátanas, ut cribráret te tamquam tríticum; sed ego rogávi pro te, ne defíciat fides tua. Quid ígitur hujus sollicitúdinis curæque præmium mihi repén-

dis? Eámdem curam, quam nobis impéndit, repóscit. Nam et tu, inquit, aliquándo convérsus confírma fratres tuos. Neque prorsus ália res est, quæ perínde decláret doceátque, quis sit fidélis et amans Christi, quam si fratrum curam agat, proque illórum salúte gerat sollicitúdinem.

℟. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum: stolam glóriæ índuit eum, * Et ad portas paradísi coronávit eum, allelúja. ℣. Induit eum Dóminus lorícam fídei, et ornávit eum. - Et.

Lectio vi

Hæc omnes áudiant et mónachi, qui móntium occupárunt cacúmina, quique modis ómnibus seípsos mundo crucifixérunt, quo pro víribus Ecclesiárum præféctos ádjuvent, horúmque curas léniant précibus, concórdia, caritáte; sciéntes, quod nisi modis ómnibus opitulúntur iis, qui tot perículis objiciúntur, per grátiam Dei, totque negotiórum curas sústinent, quibuscúmque possunt ratiónibus auxiliéntur, quamquam procul habitántes, et victus sors ipsis periísset, et tota in scópulum impegísset sapiéntia.

℟. Iste homo perfécit ómnia quæ locútus est ei Deus, et dixit ad eum: Ingrédere in réquiem meam: * Quia te vidi justum coram me ex ómnibus géntibus, allelúja. ℣. Iste est, qui contémpsit vitam mundi, et pervénit ad cæléstia regna. - Quia. - Glória Patri. - Quia.

In III Nocturno

Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam

Lectio vii C. 12, 32-34

In illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis: Nolíte timére pusíllus grex, quia complácuit Patri vestro dare vobis regnum. Et réliqua.

De Homilía sancti Petri Chrysólogi

Sermo 23

Audístis hódie, quemádmodum Dóminus pastoráli júbilo clangórem tubæ cælé-

stis adjúnxit, ut diu inclinátas óvium mentes ad divína tólleret, cæléste prótinus promovéret ad regnum. Acquisívit humílitas, supérbia quod amísit: et grex pusíllus ac mitis, totas et várias edómuit própria mansuetúdine feritátes; pusíllus grex vicit ac fregit tot génera bestiárum, quot diversitátes súbdidit jugo Christi natiónum.

℟. Iste est, qui ante Deum magnas virtútes operátus est, et de omni corde suo laudávit Dóminum: * Ipse intercédat pro peccátis ómnium populórum, allelúja. ℣. Ecce homo sine queréla, verus Dei cultor, ábstinens se ab omni ópere malo, et pérmanens in innocéntia sua. - Ipse.

Lectio viii

Grex pusíllus ac mitis diu conténtus occídi, diu devorári passus est, donec gentílis sævítia sánguine satiáta vel cárnibus, Evangélici pábuli suavitátem, et divíni fontis fluénta degústans, totum contágium sæculi evitáret et pastum: atque in hóminem redíret ex béstia, qui ex hómine fúerat dilápsus in béstiam. Hoc sensísse ante Prophétas, hoc Apóstolos implésse, hoc pertulísse Mártyres constat, attestánte illo qui dicit: Propter te mortificámur tota die, æstimáti sumus ut oves occisiónis. Ut vero iste grex novi órdinis aggrederétur prælium, ubi vivit ille, qui fuit occísus, imitátus est suum regem, illum secútus est Agnum, qui sicut ovis ad occisiónem ductus est.

℟. Sint lumbi vestri præcíncti, et lucérnæ ardéntes in mánibus vestris: * Et vos símiles homínibus exspectántibus dóminum suum, quando revertátur a núptiis, allelúja. ℣. Vigiláte ergo, quia nescítis qua hora Dóminus vester ventúrus sit. - Et vos. - Glória Patri. - Et vos.

Lectio ix

Tibi ergo rex, tibi sacérdos, tibi pastor, tibi sacrifícium, tibi ovis, tibi agnus, tibi

totum factus est, qui fécerat totum. Et qui sibi numquam, tibi tóties immutátur; propter te várias monstrátur in formas, qui manet única suæ majestátis in forma. Et quid plura? dat se tibi Deus homo, ut ferre potes; quia, ut est, tu non potes sustinére.

Te Deum laudámus.

—✳—

Die 6 Junii

Antiochiæ:

In Octava S. FERDINANDI Regis, Conf.

Duplex majus

In I Vesp. fit Com. præc.: Ant. **Sancti et justi**, ℣. **Pretiósa**, Oratio **Deus, qui multitúdinem.**

Deinde Com. S. Norberti Ep. et Conf.: Ant. **Sacérdos**, ℣. **Justum**, Oratio **Deus, qui beátum.**

In II Nocturno

Sermo sancti Bernárdi Abbátis

Serm. 2 de S. Victore

Lectio iv

Gaudéte in Dómino, dilectíssimi, qui inter contínua suæ pietátis benefícia indúlsit hóminem mundo, cujus multi salvaréntur exémplo. Iterum dico: Gaudéte, quod factus de médio appropiávit Deo, ut multo plures ejus intercessióne salvéntur. In terris visus est, ut esset exémplo: in cælum levátus est, ut sit patrocínio. Hic infórmat ad vitam, illic invítat ad glóriam: factus est mediátor ad regnum, qui fuit incitátor ad opus. Bonus mediátor, qui sibi jam póstulans nihil, totum in nos transférre desíderat et supplicántis affèctum, et supplicatiónis fructum: quid enim quærat sibi, qui nullíus eget?

℟. Honéstum fecit illum Dóminus, et custodívit eum ab inimícis, et a seductóribus tutávit illum: * Et dedit illi claritátem ætérnam, allelúja. ℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas, et osténdit illi regnum Dei. - Et dedit.

Lectio v

Hæc dies gloriósæ migratiónis ejus, dies lætítiæ cordis ejus, ex-

sultémus et lætémur in ea: introívit in poténtias Dómini, gaudeámus, quia nunc poténtior est ad salvándum. Hódie Ferdinándus, pósito córpore, tanto alácrior, quanto expedítior penetrávit in sancta, símilis factus in glória sanctórum. Hódie, despécto mundo, et mundi príncipe triumpháto, supra mundum vere victor ascéndit, accípiens de manu Dómini corónam victóriæ. Ascéndit autem cum imménsa supelléctili meritórum, clarus triúmphis, miráculis gloriósus: sedet veteránus miles, débita jam suavitáte et securitáte quiétus; secúrus quidem sibi, sed nostri sollícitus. O venerándam étiam ipsis Angelis sanctitátem! quam pari stúdio, etsi díspari voluntáte, et mali fúgitant, et frequéntant boni! Nec fácile díxerim, quid virum ádstruat sanctiórem, horum favor, aut pavor illórum.

℟. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum: stolam glóriæ índuit eum, * Et ad portas paradísi coronávit eum, allelúja. ℣. Induit eum Dóminus lorícam fídei, et ornávit eum. - Et.

Lectio vi

O miles emérite, qui christiánæ milítiæ duris labóribus angélicæ felicitátis réquiem commutásti! réspice ad imbélles et imbecílles commilitónes tuos, qui inter hostíles gládios et spiritáles nequítias tuis láudibus occupámur. Quam pium, quam dulce, quam suáve, o Ferdinánde, in hoc loco afflictiónis et in hoc córpore mortis te cánere, te cólere, te precári! Nomen tuum, et memoriále tuum favus distíllans in lábiis captivórum; mel et lac sub lingua eórum, qui tui memória delectántur. Eja ergo, fortis athléta, dulcis patróne, advocáte fidélis, exsúrge in adjutórium nobis; ut et nos de nostra ereptióne gaudeámus, et tu de plena victória gloriéris.

℟. Iste homo perfécit ómnia quæ locútus est ei Deus, et dixit

ad eum: Ingrédere in réquiem meam: * Quia te vidi justum coram me ex ómnibus géntibus, allelúja. ℣. Iste est, qui contémpsit vitam mundi, et pervénit ad cæléstia regna. - Quia. - Glória Patri. - Quia.

In III Nocturno

Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam

Lectio vii C. 12, 32-34

In illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis: Nolíte timére pusíllus grex, quia complácuit Patri vestro dare vobis regnum. Et réliqua.

De Homilía
sancti Petri Chrysólogi

Sermo 25 initio

Hódie Dóminus evangélici gregis pusílla et ténera primórdia quam blanda exhortatióne sit consolátus, audístis. Aufert spes ánxias, dúbios tollit evéntus, omnémque propéllit et exclúdit timórem, quando in exórdio ipso regnum nascéntibus pollicétur. Quis de victu, quis de vestítu, quis de plebéjo censu, et vernális céspitis vilitáte suspírat, de regno certus, de dominatióne secúrus? Satis sibi ínvidet, qui elevátus ad summa, ipse se ad humília déjicit, ad egéna depónit.

℟. Iste est, qui ante Deum magnas virtútes operátus est, et de omni corde suo laudávit Dóminum: * Ipse intercédat pro peccátis ómnium populórum, allelúja. ℣. Ecce homo sine queréla, verus Dei cultor, ábstinens se ab omni ópere malo, et pérmanens in innocéntia sua. - Ipse.

Lectio viii

Sed scire cónvenit, Pater iste quis est, vel qualis est, vel quod regnum suis fíliis repromíttit. Quis sit iste Pater, quotídie te confiténte cognóscis, cum clamas: Pater noster, qui es in cælis. Qualis autem sit, ipsa óperum magnitúdine pervidísti. Ex níhilo fecit cælum, terram solidávit ex líquido, montes státuit ad statéram, mária intra legítimos términos sola præcépti auctoritáte conclúsit.

Verum si regni, quod promíttit pusíllis, desíderas nosse qualitátem, ipse áperit sic dicéndo: Sínite párvulos veníre ad me: tálium est enim regnum cælórum. Esse in cælo mirum est: in cælo vívere est majestátis.

℟. Sint lumbi vestri præcíncti, et lucérnæ ardéntes in mánibus vestris: * Et vos símiles homínibus exspectántibus dóminum suum, quando revertátur a núptiis, allelúja. ℣. Vigiláte ergo, quia nescítis qua hora Dóminus vester ventúrus sit. - Et vos. - Glória Patri. - Et vos.

Pro S. Norberto:

Lectio ix

Norbértus, nobilíssimis paréntibus natus, adoléscens liberálibus disciplínis erudítus, in ipsa póstea imperatóris aula, spretis mundi illécebris, ecclesiásticæ milítiæ adscríbi vóluit. Sacris initiátus, prædicatióni verbi Dei se totum dedit. Innúmeros hæréticos ad fidem, peccatóres ad pœniténtiam, dissidéntes ad pacem et concórdiam revocávit. Desértum locum, qui Præmonstrátus dicebátur, in Laudunénsi diœcési sibi delégit: ibíque trédecim sóciis aggregátis, Præmonstraténsem órdinem instítuit, qui miríﬁce propagátus est. Archiepíscopus Magdeburgénsis, licet relúctans, creátus, ecclesiásticam disciplínam, cælibátum præsértim, constánter propugnávit. Rhemis in concílio Innocéntium secúndum egrégie adjúvit, et Romam cum áliis epíscopis proféctus, schisma Petri Leónis compréssit. Magdebúrgi obdormívit in Dómino, anno salútis millésimo centésimo trigésimo quarto, die sexta Június.

Te Deum laudámus.

In Laudibus fit Commemoratio S. Norberti: Ant. **Euge,** ℣. **Amávit eum,** Oratio **Deus, qui beátum.**

In II Vesp. pro Commem. sancti Norberti: Ant. **Sacérdos,** ℣. **Amávit eum.**

—✻—

Die 16 Junii

B. MARIÆ VIRGINIS DE SUCCURSU

Duplex maj.

Omnia ut in Comm. Festorum B. M. V., præter seq. Orationem.

Oratio

Omnípotens et miséricors Deus, qui ad succurréndum humáno géneri beátam Vírginem Maríam unigéniti Fílii tui Matrem esse voluísti: da nobis, quæsumus; ut ea intercedénte, diabólica vitáre contágia et sincéra tibi mente servíre valeámus. Per eúmdem Dóminum nostrum.

Index alphabeticus

Die 2 Junii

B. MARIÆ ANNÆ A JESU DE PAREDES Virginis

Duplex

Oratio

Deus, qui inter sæculi étiam illécebras beátam Maríam Annam, ut lílium inter spinas, virginàli castitáte, et jugi pœniténtia floréscere voluísti: præsta, quæsumus; ut ejus méritis et intercessióne retrahámur a vitiis et perfectióra sectémur. Per Dóminum nostrum.

In II Nocturno

Lectio iv

María Anna a Jesu de Parédes, Quiti in América meridionáli claro génere nata, ab ipsa pene infántia perféctam vivéndi ratiónem iniit. Mirábilis in ea morum intégritas et candor, ardens in Deum pietas, constans erga immaculátam Dei Genitrícem cultus et observántia, assíduum precándi stúdium. Vix décimum ætátis annum ingréssa se totam Deo arctíssime obstrínxit, tribus emíssis perpétuæ castitátis, paupertátis et obediéntiæ votis, quæ ad óbitum usque sancte servávit. Cum laudes audíret trium e Societáte Jesu Mártyrum, qui in Japóniæ regno pro christiána fide sánguinem profudíssent, inusitáto quodam divínæ glóriæ propagándæ ardóre succénsa, clam se ad iter accínxit, ut apud bárbaras gentes lumen veritátis inférret. Verum cum initum éxsequi consílium mínime potuísset, divínæ acquiéscens voluntáti própria in domo sibi recéssum paráre constítuit, ubi procul ab humánis curis uni Deo conjunctíssime víveret.

℟. **Propter veritá-**

tem, et mansuetúdinem, et justítiam: * Et dedúcet te mirabíliter, déxtera tua, allelúja. ℣. Spécie tua et pulchritúdine tua inténde, próspere procéde, et regna. - Et dedúcet.

Lectio v

Itaque in partem suárum ædium interiórem se recépit, nec inde umquam prodíbat in públicum, nisi vel cáritas erga próximos, vel pietátis offícia expléndа urgérent. In eo autem secéssu, tamquam in erémo, antíquis severiórum patrum exémplis innovátis, innocentíssimum corpus mirum in modum continénter vexávit. Caput coróna spínea, pectus et látera rigénti cilício, pedes lapíllis, omnésque artus flagéllis, et férreis caténis ac inaudítis quibúsdam ártibus, quas Christi Dómini amor suggerébat, semel atque íterum diu noctúque cruentábat. Ad majórem sui afflictatiónem léctulo ex asséribus, vel cruce acutíssimis spinis intertéxta utebátur, cibo ádeo ténui, ut octávo quandóque étiam décimo quoque die vix única áridi panis úncia vescerétur. Erga omnes tamen comis et affábilis, ánimos étiam perditórum hóminum sibi demerebátur, quos ex omni órdine a vitiórum fœditáte ad vitæ honestátem, suis consíliis et précibus tradúxit.

℟. Dilexísti justítiam, et odísti iniquitátem: * Proptérea unxit te Deus, Deus tuus, óleo lætítiæ, allelúja. ℣. Propter veritátem, et mansuetúdinem, et justítiam. - Proptérea.

Lectio vi

His aliísque auctam virtútibus Deus fámulam suam multis præclarísque munéribus illustrávit. Assíduæ rerum divinárum contemplatióni dédita, dies noctésque pene íntegras in Dei amóre quiescébat; nec defuérunt qui eam sublimem a terra, ánimo a sénsibus avocáto, et vultu cæléstі luce radiánte a se visam confirmárent. Prophetíæ

et scrutatiónis córdium dono insígnis, non solum futúra et abséntia prænuntiávit, sed ánimos hóminum, cogitatiónes et máculas introspéxit. Nec minor in morbis depelléndis vis éxstitit. Multis enim extrémo morbo laborántibus, aut crucis signo, aut aquæ sacræ aspersióne desperátam córporis sanitátem restítuit; et mórtuam féminam suis précibus in vitam revocávit. Ita erga omnes caritáte affécta, vitam dénique ipsam, dum atra lues grassarétur, pro cívium incolumitáte Deo óbtulit, et morbo corrépta placidíssimo éxitu migrávit ad Sponsum, anno millésimo sexcentésimo quadragésimo quinto, ætátis suæ sexto et vigésimo. Statim post óbitum ex ejus sánguine concréto candidíssimum lílium pródiit, ex quo ipsa Quiténsis lílii nomen obtínuit. Fama autem sanctitátis longe latéque diffúsa, et a Deo plúribus signis confirmáta, Pius nonus Póntifex Máximus puríssimam vírginem solémni cæremónia sacris Beatórum fastis adscrípsit.

℟. Afferéntur Regi vírgines post eam, próximæ ejus * Afferéntur tibi in lætítia et exsultatióne, allelúja. ℣. Spécie tua et pulchritúdine tua inténde, próspere procéde, et regna. - Afferéntur tibi. - Glória Patri. - Afferéntur tibi.

In III Noct. Homilia in Evang. Símile erit, de Comm. Virg. 1 loco.

OFFICIA PROPRIA

DITIONIS COLUMBIANÆ

JUXTA KALENDARIUM

A S. R. C. REVISUM ET ADPROBATUM
DIE 6 FEBRUARII 1914

PARS ÆSTIVA

TAURINI
SUMPTIBUS ET TYPIS EQ. PETRI MARIETTI
S. SEDIS APOST. ET S. RITUUM CONGR. TYPOGR.
Domus a. 1862 condita

MCMXIV

Approbatio.

Quum præsens Proprium Officiorum in usum Ditionis Columbianæ concordet cum textu originali rite revisum et adprobatum die 15 Septembris 1914, nihil obstat quominus Rmi Ordinarii ad quos spectat concedant: *Imprimatur;* juxta Decretum diei 3 Junii 1914.

Ex Secretaria Sacrorum Rituum Congregationis, die 15 Septembris 1914.

PH. Can. DI FAVA, Substitutus.

Imprimatur.

Bogotæ, die 11 Novembris 1914.

L. ✠ S.

† BERNARDUS

Archiepiscopus Bogoten.

Imprimatur.

Taurini, die 10 Decembris 1914.

† C. CASTRALE, Vic. Gen.

(14-XII-14-11)

KALENDARIUM PERPETUUM

IN USUM

DITIONIS COLUMBIANÆ

A SACRA RITUUM CONGREG. ADPROBATUM
DIEBUS 8 JAN. 1913 ET 6 FEBR. 1914

Omnia ut in Kalendario Ecclesiæ universalis, præter ea, quæ hic habentur propria:

Majus

30 **S. Felicis I Papæ et Mart.**, simpl.
Antioquiæ: **S. Ferdinandi Regis, Conf., Patroni principalis Diœcesis, dupl. I classis cum Octava communi.**
31 **S. Angelæ Mericiæ Virg., dupl. Com. S. Petronillæ Virg.**
Antioquiæ: **Com. Oct. et S. Petronillæ Virg.**

Junius

1
Antioquiæ: **De III die infra Octavam, semidupl.**
2 **Ss. Marcellini etc., Mm., simpl.**
Antioquiæ: **De IV die infra Octavam, semidupl. Com. Ss. Marcellini et Socior. Mm.**
3
Antioquiæ: **De V die infra Octavam, semidupl.**
4 **S. Francisci Caracciolo Conf., dupl.**
Antioquiæ; Com. Oct.
5 **S. Bonifatii Ep. et Mart., dupl.**
Antioquiæ: **Com. Oct.**
6 **S. Norberti Ep. et Conf., dupl.**
Antioquiæ: **Octava S. Ferdinandi Regis, Conf., dupl. maj. Com. S. Norberti Ep. et Conf. (dupl.).**
16 **B. Mariæ Virg. de Succursu, dupl. maj.**
Socorro: **Patronæ principalis Diœcesis, dupl. I classis cum Octava communi.**
17
Socorro: **De II die infra Octavam, semidupl.**
18 **Ss. Marci et Marcelliani Mm., simpl.**
Socorro: **De III die infra Octavam, semidupl. Com. Ss. Mm.**

19 S. Julianæ de Falconeriis Virg., dupl. Com. Ss. Gervasii et Protasii Mm.
Socorro: Com. Oct. et Ss. Gervasii et Protasii Mm.
20 S. Silverii Papæ et Mart., simpl.
Socorro: De V die infra Octavam, semidupl. Com. S. Silverii Papæ et Mart.
21 S. Aloisii Gonzagæ Conf., dupl.
Socorro: Com. Oct.
22 S. Paulini Ep. et Conf., dupl.
Socorro: Com. Oct.
23 Vigilia.
Socorro: Octava B. Mariæ Virg. de Succursu, dupl. maj. Com. Vigiliæ.

Julius

9 B. Mariæ Virg. de Chiquinquirá, dupl. maj.
Manizales: Patronæ principalis Diœcesis, dupl. I classis cum Octava communi.
10 Ss. Septem Fratrum etc. Mm., semidupl.
Manizales: Com. Oct.
11 S. Pii I Papæ et Mart., simpl.
Manizales: De III die infra Octavam, semidupl. Com. S. Pii I Papæ et Mart.
12 S. Joannis Gualberti Abb., dupl. Com. Ss. Naboris et Felicis Mm.
Manizales: Com. Oct. et Ss. Naboris et Felicis Mm.
13 S. Anacleti Papæ et Mart., semidupl.
Manizales: Com. Oct.
14 S. Bonaventuræ Ep., Conf. et Eccl. Doct., dupl.
Manizales: Com. Oct.
15 S. Henrici Imperatoris, Conf., semidupl.
Manizales: Com. Oct. (de qua nihil amplius).
20 S. Liberatæ Virg. et Mart., Patronæ minus principalis Ditionis Columbianæ, dupl. maj. Com. S. Hieronymi Æmiliani Conf. (dupl.) ac S. Margaritæ Virg. et Mart.
25 S. Jacobi Apostoli, dupl. II classis. Com. S. Christophori Mart.
Tunquæ: Titul. Ecclesiæ Cathedralis et Patroni principalis Diœces., dupl. I classis cum Oct. communi.
26 S. Annæ Matris B. M. V., dupl. II classis.
S. Marthæ: Tit. Ecclesiæ Cathedralis et Patronæ princip. Diœcesis, dupl. I classis cum Octava communi.

27 S. Pantaleonis Mart., simpl.
Tunquæ: De III die infra Octavam, semidupl. Com. S. Pantaleonis Mart.
S. Marthæ: De II die infra Octavam, semidupl. Com. S. Pantaleonis Mart.
28 Ss. Nazarii etc. Mm., semidupl.
Tunquæ et S. Marthæ: Com. Oct.
29 S. Marthæ Virg., semidupl. Com. Ss. Felicis etc. Mm.
S. Marthæ: Patronæ princip. Diœcesis, dupl. I classis cum Octava communi.
Tunquæ: Com. Oct. et Ss. Mm.
30 Ss. Abdon et Sennen Mm., simpl.
Tunquæ: De VI die infra Octavam, semidupl. Com. Ss. Mm.
S. Marthæ: De V die infra Octavam S. Annæ, semid. Com. Oct. S. Marthæ et Ss. Mm.
31 S. Ignatii Conf., dupl.
Tunquæ: Com. Oct.
S. Marthæ: Com. Octavarum S. Annæ et S. Marthæ.

Augustus

1 S. Petri ad Vincula, dupl. maj. Com. S. Pauli Ap. et Ss. Machabæorum Mm.
Tunquæ: Octava S. Jacobi Ap., dupl. maj. Com. S. Petri ad Vincula (dupl. maj.), S. Pauli Ap. ac Ss. Machabæorum Mm.
S. Marthæ: Com. S. Pauli Ap., Octavarum et Ss. Mm.
2 S. Alfonsi Mariæ de Ligorio Ep., Conf. et Eccl. Doct., dupl. Com. S. Stephani I Papæ et Mart.
S. Marthæ: Octava S. Annæ Matris B. M. V., dupl. maj. Com. S. Alfonsi Mariæ de Ligorio Ep., Conf. et Eccl. Doct. (dupl.), Oct. S. Marthæ ac S. Stephani I Papæ et Mart.
3 Inventio S. Stephani Protomart., semidupl.
S. Marthæ: Com. Oct. S. Marthæ.
4 S. Dominici Conf., dupl. maj.
S. Marthæ: Com. Oct. S. Marthæ.
5 Dedicatio S. Mariæ ad Nives, dupl. maj.
Neo-Pampilone (in Civitate): Patr. princip., dupl. I classis cum Octava communi.
S. Marthæ: Octava S. Marthæ Virg., dupl. maj. Com. Dedicationis S. Mariæ ad Nives (dupl. maj.).
7 S. Cajetani Conf., dupl. Com. S. Donati Ep. et Mart.
Neo-Pampilone (in Civitate): Com. Oct. et S. Donati Ep. et Mart.

8 Ss. Cyriaci, Largi et Smaragdi Mm., semidupl.
Neo-Pampilone (in Civitate): Com. Oct.
9 Vigilia. Com. S. Romani Mart.
Neo-Pampilone (in Civitate): De V die infra Octavam, semidupl. Com. Vigiliæ et S. Romani Mart.
11 Ss. Tiburtii et Susannæ Virg., Mm., simpl.
Neo-Pampilone (in Civitate): De VII die infra Octavam, semid. Com. Ss. Mm.
12 S. Claræ Virg., dupl.
Neo-Pampilone (in Civitate): Octava S. Mariæ ad Nives, dupl. maj. Com. S. Claræ Virg. (dupl.).
18 De IV die infra Octavam Assumptionis, semidupl. Com. S. Agapiti Mart.
Bogotæ (in Civitate): S. Rochi Conf., Patroni minus principalis (d. a. ex 16 huj.), dupl. maj. Com. Oct. et S. Agapiti Mart.
S. Marthæ: B. M. V. Matris de Gratia, Patronæ minus principalis Diœcesis, dupl. maj. (in monte Toroma, dupl. II classis). Com. S. Agapiti Mart.
30 S. Rosæ Limanæ Virg., Patronæ principalis Americæ, dupl. I classis cum Octava communi.

September

1 De III die infra Octavam, semidupl. Com. S. Ægidii Abb. ac Ss. duodecim Fratrum Mm.
2 S. Stephani Regis, Conf., semidupl. Com. Oct.
3 De V die infra Octavam, semidupl.

ARCHIDIŒCESIUM ET DIŒCESIUM DITIONIS COLUMBIANÆ

Præsens Kalendarium, juxta Rubricas et Decreta novissima redactum, Sacra Rituum Congregatio, vigore facultatum sibi specialiter a Sanctissimo Domino nostro Pio Papa X tributarum, revisione rite peracta, recognovit ac probavit, illudque in cunctis Ditionis Columbianæ Archidiœcesibus et Diœcesibus adhiberi mandavit; servatis de cetero Rubricis et Decretis, præsertim quoad Festa Dedicationis et Titularis Ecclesiarum nec non Patronorum cujusque loci. Contrariis non obstantibus quibuscumque.

Die 6 Februarii 1914.

(L. S.) **† PETRUS LA FONTAINE** Ep. Charystien.
Secretarius.

OFFICIA PROPRIA

DITIONIS COLUMBIANÆ

Pars Æstiva

Feria VI post Oct. sanctissimi Corporis Christi

SACRATISSIMI CORDIS JESU

Duplex I classis

Vesperæ dicuntur de die Octava Corporis Christi sine ulla Com. Si autem præced. Feria V occurrerit Festum Nativit. S. Joan. Baptistæ aut Ss. App. Petri et Pauli, in II Vesperis fit Commemoratio de seq. Festo sacratissimi Cordis Jesu, ut infra, omissa Commemoratione Octavæ. Sed si Officium sacratissimi Cordis transferatur, tunc

In I Vesperis

Omnia ut in II, præter

℣. **Miserátor et misericors Dóminus.**

℟. **Longánimis et multum misericors.**

Ad Magnif. Ant. **Misericórdia Dómini a progénie in progénies timéntibus eum, allelúja.**

Oratio

Fac nos, Dómine Jesu, sanctíssimi Cordis tui virtútibus indui, et afféctibus inflammári: ut et imágini bonitátis tuæ confórmes, et tuæ redemptiónis mereámur esse partícipes. Qui vivis et regnas cum Deo Patre

in unitáte Spíritus Sancti Deus, per ómnia sæcula sæculórum.

℟. **Amen.**

Completor. de Dom.

Conclusio Hymnorum, etiam ad Horas, erit sequens:

Jesu, tibi sit glória,
Qui natus es de Vírgine,
Cum Patre et almo Spíritu
In sempitérna sæcula. Amen.

Ad Matutinum

Invit. **Cor Jesu, caritátis víctimam, * Veníte, adorémus.**

Ps. 94 **Veníte.**

Hymnus

Quicúmque certum quæritis
Rebus levámen ásperis:
Seu culpa mordet ánxia,
Seu pœna vos premit comes,

Jesu, qui, ut agnus ínnocens
Sese immolándum trádidit,
Ad Cor reclúsum vúlnere,
Ad mite Cor accédite.

Audítis, ut suavíssimis
Invítet omnes vócibus?
Veníte, quos gravat labor,
Premítque pondus críminum.

Quid Corde Jesu mítius?
Jesum cruci qui affíxerant
Excúsat et Patrem rogat,
Ne perdat ultor ímpios.

O Cor, volúptas Cælitum,
Cor fida spes mortálium,
En hisce tracti vócibus
Ad te venímus súpplices.

Tu nostra terge vúlnera
Ex te fluénte sánguine:
Tu da novum cor ómnibus,
Qui te geméntes ínvocant. Amen.

In I Nocturno

Ant. **Factum est cor meum tamquam cera liquéscens in médio ventris mei.**

Psalmus 21

Deus, Deus meus, réspice in me: quare me dereliquísti? * longe a salúte mea verba delictórum meórum.

Deus meus, clamábo per diem, et non exáu-

dies: * et nocte, et non ad insipiéntiam mihi.

Tu autem in sancto hábitas, * laus Israel.

In te speravérunt patres nostri: * speravérunt, et liberásti eos.

Ad te clamavérunt, et salvi facti sunt: * in te speravérunt, et non sunt confúsi.

Ego autem sum vermis, et non homo: * oppróbrium hóminum, et abjéctio plebis.

Omnes vidéntes me, derisérunt me: * locúti sunt lábiis, et movérunt caput.

Sperávit in Dómino, erípiat eum: * salvum fáciat eum, quóniam vult eum.

Quóniam tu es, qui extraxísti me de ventre: * spes mea ab ubéribus matris meæ. In te projéctus sum ex útero:

De ventre matris meæ Deus meus es tu, * ne discésseris a me:

Quóniam tribulátio próxima est: * quóniam non est qui ádjuvet.

Circumdedérunt me vítuli multi: * tauri pingues obsedérunt me.

Aperuérunt super me os suum, * sicut leo rápiens et rúgiens.

Sicut aqua effúsus sum: * et dispérsa sunt ómnia ossa mea.

Factum est cor meum tamquam cera liquéscens * in médio ventris mei.

Aruit tamquam testa virtus mea, et lingua mea adhæsit fáucibus meis: * et in púlverem mortis deduxísti me.

Quóniam circumdedérunt me canes multi: * concílium malignántium obsédit me.

Fodérunt manus meas et pedes meos: * dinumeravérunt ómnia ossa mea.

Ipsi vero consideravérunt et inspexérunt me: * divisérunt sibi vestiménta mea, et super vestem meam misérunt sortem.

Tu autem, Dómine, ne elongáveris auxílium tuum a me: * ad defensiónem meam cónspice.

Erue a frámea, Deus, ánimam meam: * et de manu canis únicam meam:

Salva me ex ore leó-

nis: * et a córnibus unicórnium humilitátem meam.

Narrábo nomen tuum frátribus meis: * in médio ecclésiæ laudábo te.

Qui timétis Dóminum, laudáte eum: * univérsum semen Jacob, glorificáte eum.

Tímeat eum omne semen Israel: * quóniam non sprevit, neque despéxit deprecatiónem páuperis:

Nec avértit fáciem suam a me: * et cum clamárem ad eum, exaudívit me.

Apud te laus mea in ecclésia magna: * vota mea reddam in conspéctu timéntium eum.

Edent páuperes, et saturabúntur: et laudábunt Dóminum qui requírunt eum: * vivent corda eórum in sæculum sæculi.

Reminiscéntur et converténtur ad Dóminum * univérsi fines terræ:

Et adorábunt in conspéctu ejus * univérsæ famíliæ Géntium.

Quóniam Dómini est regnum: * et ipse dominábitur Géntium.

Manducavérunt et adoravérunt omnes pingues terræ: * in conspéctu ejus cadent omnes qui descéndunt in terram.

Et ánima mea illi vivet: * et semen meum sérviet ipsi.

Annuntiábitur Dómino generátio ventúra: * et annuntiábunt cæli justítiam ejus pópulo qui nascétur, quem fecit Dóminus.

Ant. Factum est cor meum tamquam cera liquéscens in médio ventris mei.

Ant. Sperávit cor meum in Dómino, et adjútus sum, et reflóruit caro mea.

Psalmus 27

Ad te, Dómine, clamábo, Deus meus, ne síleas a me: * nequándo táceas a me, et assimilábor descendéntibus in lacum.

Exáudi, Dómine, vocem deprecatiónis meæ dum oro ad te: * dum extóllo manus meas ad templum sanctum tuum.

Ne simul trahas me cum peccatóribus: * et cum operántibus iniquitátem ne perdas me.

Qui loquúntur pacem cum próximo suo, * mala autem in córdibus eórum.

Da illis secúndum ópera eórum, * et secúndum nequítiam adinventiónum ipsórum.

Secúndum ópera mánuum eórum tríbue illis: * redde retributiónem eórum ipsis.

Quóniam non intellexérunt ópera Dómini, et in ópera mánuum ejus * déstrues illos, et non ædificábis eos.

Benedíctus Dóminus: * quóniam exaudívit vocem deprecatiónis meæ.

Dóminus adjútor meus, et protéctor meus: * in ipso sperávit cor meum, et adjútus sum.

Et reflóruit caro mea: * et ex voluntáte mea confitébor ei.

Dóminus fortitúdo plebis suæ: * et protéctor salvatiónum Christi sui est.

Salvum fac pópulum tuum, Dómine, et bénedic hereditáti tuæ: * et rege eos, et extólle illos usque in ætérnum.

Ant. Sperávit cor meum in Dómino, et adjútus sum, et reflóruit caro mea.

Ant. Convertísti planctum meum in gáudium mihi, et circumdedísti me lætítia.

Psalmus 29

Exaltábo te, Dómine, quóniam suscepísti me: * nec delectásti inimícos meos super me.

Dómine, Deus meus, clamávi ad te, * et sanásti me.

Dómine, eduxísti ab inférno ánimam meam: * salvásti me a descendéntibus in lacum.

Psállite Dómino, sancti ejus: * et confitémini memóriæ sanctitátis ejus.

Quóniam ira in indignatióne ejus: * et vita in voluntáte ejus.

Ad vésperum demorábitur fletus: * et ad matutínum lætítia.

Ego autem dixi in abundántia mea: * Non movébor in ætérnum.

Dómine, in voluntáte tua, * præstitísti decóri meo virtútem.

Avertísti fáciem tuam a me, * et factus sum conturbátus.

Ad te, Dómine, cla-

mábo: * et ad Deum meum deprecábor.

Quæ utílitas in sánguine meo, * dum descéndo in corruptiónem?

Numquid confitébitur tibi pulvis, * aut annuntiábit veritátem tuam?

Audívit Dóminus, et misértus est mei: * Dóminus factus est adjútor meus.

Convertísti planctum meum in gáudium mihi: * conscidísti saccum meum, et circumdedísti me lætítia:

Ut cantet tibi glória mea, et non compúngar: * Dómine, Deus meus, in ætérnum confitébor tibi.

Ant. Convertísti planctum meum in gáudium mihi, et circumdedísti me lætítia.

℣. Ego autem in Dómino gaudébo. ℟. Et exsultábo in Deo Jesu meo.

De Epístola
beáti Pauli Apóstoli
ad Ephésios

Lectio i

Cap. 1, 3-7; 16-18

Benedíctus Deus et Pater Dómini nostri Jesu Christi, qui benedíxit nos in omni benedictióne spirituáli in cæléstibus in Christo, sicut elégit nos in ipso ante mundi constitutiónem, ut essémus sancti et immaculáti in conspéctu ejus in caritáte. Qui prædestinávit nos in adoptiónem filiórum per Jesum Christum in ipsum, secúndum propósitum voluntátis suæ, in laudem glóriæ grátiæ suæ, in qua gratificávit nos in diléсto Fílio suo. In quo habémus redemptiónem per sánguinem ejus, remissiónem peccatórum secúndum divítias grátiæ ejus. Proptérea non cesso grátias agens pro vobis, memóriam vestri fáciens in oratiónibus meis: ut Deus, Dómini nostri Jesu Christi Pater glóriæ, det vobis spíritum sapiéntiæ et revelatiónis, in agnitióne ejus: illuminátos óculos cordis vestri, ut sciátis quæ sit spes vocatiónis ejus, et quæ divítiæ glóriæ hereditátis ejus in sanctis.

℟. Gratificávit nos Deus in diléсto Fílio

suo: * In quo habémus redemptiónem per sánguinem ejus, remissiónem peccatórum. ℣. Det nobis Dóminus illuminátos óculos cordis nostri, in agnitióne ejus. - In.

Lectio ii
Cap. 2, 4-7; 14-18

Deus autem, qui dives est in misericórdia, propter nímiam caritátem suam qua diléxit nos, et cum essémus mórtui peccátis, convivificávit nos in Christo (cujus grátia estis salváti), et conresuscitávit, et consedére fecit in cæléstibus in Christo Jesu: ut osténderet in sæculis superveniéntibus abundántes divítias grátiæ suæ in bonitáte super nos in Christo Jesu. Ipse enim est pax nostra, qui fecit útraque unum, et médium paríetem macériæ solvens, inimicítias in carne sua: legem mandatórum decrétis evácuans, ut duos condat in semetípso in unum novum hóminem, fáciens pacem, et reconcíliet ambos in uno córpore, Deo per crucem, interfíciens inimicítias in semetípso. Et véniens evangelizávit pacem vobis, qui longe fuístis, et pacem iis, qui prope. Quóniam per ipsum habémus accéssum ambo in uno Spíritu ad Patrem.

℟. Propter nímiam caritátem suam, qua diléxit nos Deus, osténdit abundántes divítias grátiæ suæ: * In bonitáte super nos in Christo Jesu. ℣. Ipse enim est pax nostra, per quem habémus accéssum ad Patrem. - In bonitáte.

Lectio iii C. 3, 14-21

Hujus rei grátia flecto génua mea ad Patrem Dómini nostri Jesu Christi, ex quo omnis patérnitas in cælis, et in terra nominátur, ut det vobis secúndum divítias glóriæ suæ, virtúte corroborári per Spíritum ejus in interiórem hóminem, Christum habitáre per fidem in córdibus vestris: in caritáte radicáti, et fundáti, ut possítis compre-

héndere cum ómnibus sanctis, quæ sit latitúdo, et longitúdo, et sublímitas, et profúndum: scire étiam supereminéntem sciéntiæ caritátem Christi, ut impleámini in omnem plenitúdinem Dei. Ei autem, qui potens est ómnia fácere superabundánter quam pétimus, aut intellígimus, secúndum virtútem, quæ operátur in nobis: ipsi glória in Ecclésia, et in Christo Jesu in omnes generatiónes sæculi sæculórum. Amen.

℟. **Det nobis Dóminus virtúte corroborári per Spíritum ejus in interiórem hóminem: * Christum habitáre per fidem in córdibus nostris.** ℣. **Ut in caritáte radicáti, et fundáti comprehendámus supereminéntem sciéntiæ caritátem Christi. - Christum. - Glória Patri. - Christum.**

In II Nocturno

Ant. **Gustáte et vidéte, quóniam suávis est Dóminus: beátus vir, qui sperat in eo.**

Psalmus 33

Benedícam Dóminum in omni témpore: * semper laus ejus in ore meo.

In Dómino laudábitur ánima mea: * áudiant mansuéti, et læténtur.

Magnificáte Dóminum mecum: * et exaltémus nomen ejus in idípsum.

Exquisívi Dóminum, et exaudívit me: * et ex ómnibus tribulatiónibus meis erípuit me.

Accédite ad eum, et illuminámini: * et fácies vestræ non confundéntur.

Iste pauper clamávit, et Dóminus exaudívit eum: * et de ómnibus tribulatiónibus ejus salvávit eum.

Immíttet Angelus Dómini in circúitu timéntium eum: * et erípiet eos.

Gustáte, et vidéte quóniam suávis est Dóminus: * beátus vir, qui sperat in eo.

Timéte Dóminum, omnes sancti ejus: * quóniam non est inópia timéntibus eum.

Dívites eguérunt et esuriérunt: * inquirén-

tes autem Dóminum non minuéntur omni bono.

Veníte, fílii, audíte me: * timórem Dómini docébo vos.

Quis est homo qui vult vitam: * díligit dies vidére bonos?

Próhibe linguam tuam a malo: * et lábia tua ne loquántur dolum.

Divérte a malo, et fac bonum: * inquíre pacem, et perséquere eam.

Oculi Dómini super justos: * et aures ejus in preces eórum.

Vultus autem Dómini super faciéntes mala: * ut perdat de terra memóriam eórum.

Clamavérunt justi, et Dóminus exaudívit eos: * et ex ómnibus tribulatiónibus eórum liberávit eos.

Juxta est Dóminus iis, qui tribuláto sunt corde: * et húmiles spíritu salvábit.

Multæ tribulatiónes justórum: * et de ómnibus his liberábit eos Dóminus.

Custódit Dóminus ómnia ossa eórum: * unum ex his non conterétur.

Mors peccatórum péssima: * et qui odérunt justum, delínquent.

Rédimet Dóminus ánimas servórum suórum: * et non delínquent omnes qui sperant in eo.

Ant. Gustáte et vidéte, quóniam suávis est Dóminus: beátus vir, qui sperat in eo.

Ant. Propter veritátem, et mansuetúdinem, et justítiam, inténde, próspere procéde, et regna.

Psalmus 44

Eructávit cor meum verbum bonum: * dico ego ópera mea Regi.

Lingua mea cálamus scribæ, * velóciter scribéntis.

Speciósus forma præ fíliis hóminum, diffúsa est grátia in lábiis tuis: * proptérea benedíxit te Deus in ætérnum.

Accíngere gládio tuo super femur tuum, * potentíssime,

Spécie tua et pulchritúdine tua * in-

ténde, próspere procéde, et regna.

Propter veritátem, et mansuetúdinem, et justítiam: * et dedúcet te mirabíliter déxtera tua.

Sagíttæ tuæ acútæ, pópuli sub te cadent, * in corda inimicórum Regis.

Sedes tua, Deus, in sæculum sæculi: * virga directiónis virga regni tui.

Dilexísti justítiam, et odísti iniquitátem: * proptérea unxit te Deus, Deus tuus, óleo lætítiæ præ consórtibus tuis.

Myrrha, et gutta, et cásia a vestiméntis tuis, a dómibus ebúrneis: * ex quibus delectavérunt te fíliæ regum in honóre tuo.

Astitit regína a dextris tuis in vestítu deauráto: * circúmdata varietáte.

Audi, fília, et vide, et inclína aurem tuam: * et oblivíscere pópulum tuum, et domum patris tui.

Et concupíscet Rex decórem tuum: * quóniam ipse est Dóminus Deus tuus, et adorábunt eum.

Et fíliæ Tyri in munéribus * vultum tuum deprecabúntur: omnes dívites plebis.

Omnis glória ejus fíliæ Regis ab intus, * in fímbriis áureis circumamícta varietátibus.

Adducéntur Regi vírgines post eam: * próximæ ejus afferéntur tibi.

Afferéntur in lætítia et exsultatióne: * adducéntur in templum Regis.

Pro pátribus tuis nati sunt tibi fílii: * constítues eos príncipes super omnem terram.

Mémores erunt nóminis tui * in omni generatióne et generatiónem.

Proptérea pópuli confitebúntur tibi in ætérnum: * et in sæculum sæculi.

Ant. Propter veritátem, et mansuetúdinem, et justítiam, inténde, próspere procéde, et regna.

Ant. Judicábit pópulum in justítia, et páuperes in judício.

Psalmus 71

Deus, judícium tuum regi da: * et justítiam tuam fílio regis:

Judicáre pópulum tuum in justítia, * et páuperes tuos in judício.

Suscípiant montes pacem pópulo: * et colles justítiam.

Judicábit páuperes pópuli, et salvos fáciet fílios páuperum: * et humiliábit calumniatórem.

Et permanébit cum sole, et ante lunam, * in generatióne et generatiónem.

Descéndet sicut plúvia in vellus: * et sicut stillicídia stillántia super terram.

Oriétur in diébus ejus justítia, et abundántia pacis: * donec auferátur luna.

Et dominábitur a mari usque ad mare: * et a flúmine usque ad términos orbis terrárum.

Coram illo prócident Æthíopes: * et inimíci ejus terram lingent.

Reges Tharsis, et ínsulæ múnera ófferent: * reges Arabum et Saba dona addúcent.

Et adorábunt eum omnes reges terræ: * omnes Gentes sérvient ei:

Quia liberábit páuperem a poténte: * et páuperem, cui non erat adjútor.

Parcet páuperi et ínopi: * et ánimas páuperum salvas fáciet.

Ex usúris et iniquitáte rédimet ánimas eórum: * et honorábile nomen eórum coram illo.

Et vivet, et dábitur ei de auro Arábiæ, et adorábunt de ipso semper: * tota die benedícent ei.

Et erit firmaméntum in terra in summis móntium, superextollétur super Líbanum fructus ejus: * et florébunt de civitáte sicut fœnum terræ.

Sit nomen ejus benedíctum in sæcula: * ante solem pérmanet nomen ejus.

Et benedicéntur in ipso omnes tribus terræ: * omnes Gentes magnificábunt eum.

Benedíctus Dóminus,

Deus Israel, * qui facit mirabília solus:

Et benedíctum nomen majestátis ejus in ætérnum: * et replébitur majestáte ejus omnis terra: fiat, fiat.

Ant. **Judicábit pópulum in justítia, et páuperes in judício.**

℣. **Mihi autem adhærére Deo bonum est.**

℟. **Pónere in Dómino Deo spem meam.**

Lectiones **Quia semel**, ut in Breviario, cum ℟℟. sequentibus:

℟. iv **Introdúxit me Rex in cellária sua, ordinávit in me caritátem. * Fulcíte me flóribus, stipáte me malis, quia amóre lángueo.** ℣. **Sub umbra illíus quem desideráveram sedi: et fructus ejus dulcis gútturi meo. - Fulcíte.**

℟. v **Hauriétis aquas in gáudio de fóntibus Salvatóris, et dicétis in die illa: * Confitémini Dómino, et invocáte nomen ejus.** ℣. **Ecce Deus Salvátor meus, fiduciáliter agam, et non timébo. - Confitémini.**

℟. vi **Auferam cor lapídeum de carne vestra, et dabo vobis cor cárneum : * Et spíritum meum ponam in médio vestri.** ℣. **Effúndam super vos aquam vivam, et mundabímini ab ómnibus inquinaméntis vestris. - Et. - Glória Patri. - Et.**

In III Nocturno

Ant. **Misericórdiam et veritátem díligit Deus: grátiam et glóriam dabit Dóminus.**

Psalmus 83

Quam diléeta tabernácula tua, Dómine virtútum: * concupíscit, et déficit ánima mea in átria Dómini.

Cor meum, et caro mea * exsultavérunt in Deum vivum.

Etenim passer invénit sibi domum: * et turtur nidum sibi, ubi ponat pullos suos.

Altária tua, Dómine virtútum: * Rex meus, et Deus meus.

Beáti, qui hábitant in domo tua, Dómine: * in sæcula sæculórum laudábunt te.

Beátus vir, cujus est auxílium abs te: * ascensiónes in corde suo dispósuit, in valle la-

crimárum in loco, quem pósuit.

Etenim benedictiónem dabit legislátor, ibunt de virtúte in virtútem: * vidébitur Deus deórum in Sion.

Dómine, Deus virtútum, exáudi oratiónem meam: * áuribus pércipe, Deus Jacob.

Protéctor noster, áspice, Deus: * et réspice in fáciem Christi tui:

Quia mélior est dies una in átriis tuis, * super míllia.

Elégi abjéctus esse in domo Dei mei: * magis quam habitáre in tabernáculis peccatórum.

Quia misericórdiam, et veritátem díligit Deus: * grátiam et glóriam dabit Dóminus.

Non privábit bonis eos, qui ámbulant in innocéntia: * Dómine virtútum, beátus homo, qui sperat in te.

Ant. **Misericórdiam et veritátem díligit Deus: grátiam et glóriam dabit Dóminus.**

Ant. **Dóminus dabit benignitátem: loquétur pacem in plebem suam.**

Psalmus 84

Benedixísti, Dómine, terram tuam: * avertísti captivitátem Jacob.

Remisísti iniquitátem plebis tuæ: * operuísti ómnia peccáta eórum.

Mitigásti omnem iram tuam: * avertísti ab ira indignatiónis tuæ.

Convérte nos, Deus, salutáris noster: * et avérte iram tuam a nobis.

Numquid in ætérnum irascéris nobis: * aut exténdes iram tuam a generatióne in generatiónem?

Deus, tu convérsus vivificábis nos: * et plebs tua lætábitur in te.

Osténde nobis, Dómine, misericórdiam tuam: * et salutáre tuum da nobis.

Audiam quid loquátur in me Dóminus Deus: * quóniam loquétur pacem in plebem suam.

Et super sanctos suos: * et in eos, qui convertúntur ad cor.

Verúmtamen prope timéntes eum salutáre

ipsíus: * ut inhábitet glória in terra nostra.

Misericórdia, et véritas obviavérunt sibi: * justítia, et pax osculátæ sunt.

Véritas de terra orta est: * et justítia de cælo prospéxit.

Etenim Dóminus dabit benignitátem: * et terra nostra dabit fructum suum.

Justítia ante eum ambulábit: * et ponet in via gressus suos.

Ant. Dóminus dabit benignitátem: loquétur pacem in plebem suam.

Ant. Suávis et mitis es, Dómine, et multæ misericórdiæ ómnibus invocántibus te.

Psalmus 85

Inclína, Dómine, aurem tuam, et exáudi me: * quóniam inops, et pauper sum ego.

Custódi ánimam meam, quóniam sanctus sum: * salvum fac servum tuum, Deus meus, sperántem in te.

Miserére mei, Dómine, quóniam ad te clamávi tota die: * lætífica ánimam servi tui, quóniam ad te, Dómine, ánimam meam levávi.

Quóniam tu, Dómine, suávis, et mitis: * et multæ misericórdiæ ómnibus invocántibus te.

Auribus pércipe, Dómine, oratiónem meam: * et inténde voci deprecatiónis meæ.

In die tribulatiónis meæ clamávi ad te: * quia exaudísti me.

Non est símilis tui in diis, Dómine: * et non est secúndum ópera tua.

Omnes Gentes quascúmque fecísti, vénient, et adorábunt coram te, Dómine: * et glorificábunt nomen tuum.

Quóniam magnus es tu, et fáciens mirabília: * tu es Deus solus.

Deduc me, Dómine, in via tua, et ingrédiar in veritáte tua: * lætétur cor meum ut tímeat nomen tuum.

Confitébor tibi, Dómine, Deus meus, in toto corde meo, * et glorificábo nomen tuum in ætérnum:

Quia misericórdia tua magna est super me: * et eruísti áni-

mam meam ex inférno inferióri.

Deus, iniqui insurrexérunt super me, et synagóga poténtium quæsiérunt ánimam meam: * et non proposuérunt te in conspéctu suo.

Et tu, Dómine, Deus miserátor et miséricors, * pátiens, et multæ misericórdiæ, et verax,

Réspice in me, et miserére mei, * da impérium tuum púero tuo: et salvum fac fílium ancíllæ tuæ.

Fac mecum signum in bonum, ut vídeant qui odérunt me, et confundántur: * quóniam tu, Dómine, adjuvísti me, et consolátus es me.

Ant. **Suávis et mitis es, Dómine, et multæ misericórdiæ ómnibus invocántibus te.**

℣. **Misericórdia Dómini ab ætérno.** ℟. **Et usque in ætérnum super timéntes eum.**

Léctio sancti Evangélii secúndum Joánnem

Lectio vii C. 15, 9-16

In illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis: Sicut diléxit me Pater, et ego diléxi vos. Manéte in dilectióne mea. Et réliqua.

Homilía sancti Bernárdi Abbátis Serm. 13 in Cœna Domini

De dilectióne Dei, quo plus bibo plus sítio, et ea saturári non possum nec ego, nec áliquis díligens Christum. Ipsa quo plus éditur, plus famem exáuget; et quanto plus ipsa bíbitur, plus sitim inácuit: ipsam, quam inhábitat, mentem sic inébriat, ut nihil jam quærat, vel díligat, nec dilígere possit, nec váleat, præter eum, qui sic mundum diléxit, ut Fílium suum unigénitum daret; ut omnis qui credit, et díligit illum, non moriátur, sed vivat cum eo. Ad hanc nos dilectiónem auctor ipse inæstimábilis caritátis invítat: in ea nos manére precátur, et rogat. Ait enim: Manéte in dilectióne mea; ac si apérte dicat: Quia ego ea dilectióne, qua me Pater díligit, vos díligo; eádem dilectió-

ne me vos dilígere rogo. Et quóniam diléctio vestra me usque ad mortem perdúxit; sed neque mors crudelíssima ipsa a vestra caritáte me sejúnxit, me dilígite, et in mea dilectióne manéte.

℟. Sicut diléxit me Pater, et ego diléxi vos: * Manéte in dilectióne mea. ℣. Si præcépta mea servavéritis, manébitis in dilectióne mea, sicut et ego Patris mei præcépta servávi, et máneo in ejus dilectióne. - Manéte.

Lectio viii

Sed quáliter in ejus dilectióne manére debeámus, séquitur et dicit: Si præcépta mea servavéritis, manébitis in mea dilectióne, sicut et ego Patris mei præcépta servávi, et máneo in ejus dilectióne. Hæc ópera, fratres mei, sunt causa dilectiónis Christi: unusquísque vestrum vídeat, si Dóminum Jesum dilígere débeat. Quid pro nobis fácere débuit, et non fecit? Quómodo nos plus amáre pótuit, et non amávit? Majórem in nobis dilectiónem non pótuit habére, quam hábuit: quia ánimam suam in morte pro nobis pósuit. Ipsa beáta Véritas testis est, quod majórem caritátem nemo habet, quam ut ánimam suam ponat quis pro amícis suis. Non ergo nobis viléscat, fratres mei, ipsa diléctio Christi, qui diléxit nos, et lavit nos a peccátis nostris in sánguine suo: non vobis viléscat, fratres mei, non vobis amaréscat ipse amor Christi, ipsa cáritas Christi.

℟. Christus pro nobis ánimam suam pósuit: * Et lavit nos a peccátis nostris in sánguine suo. ℣. Majórem caritátem nemo habet, ut ánimam suam ponat quis pro amícis suis. - Et lavit. - Glória Patri. - Et lavit.

Lectio ix

Amor Christi totus dulcis, totus delectábilis: suum possessórem non crúciat, sed deléctat; non enérvat, sed róborat; cuncta terréna subsánnat; sola cæléstia captat; Christi mandáta requí-

rit, et ea pro víribus observáre conténdit; et de observatióne præceptórum gressu felíci provéhitur ad perceptiónem gaudiórum, ut cum illo jam perfécte gáudeat, pro cujus desidério in hac valle lacrimárum pósitus tam amáre frequénter suspirábat. Unde recte séquitur: Hæc locútus sum vobis, ut gáudium meum in vobis sit, et gáudium vestrum impleátur; ac si díceret: Ideo præcípio vobis, et móneo vos mea observáre præcépta, et manére in dilectióne mea, ut gáudium meum in vobis sit, et gáudium vestrum de me adimpleátur: ut hábeam de vobis per mútuam caritátem, quam mihi impénditis, unde possim gaudére: et illud gáudium, quod in retributióne præmiórum elécti sunt perceptúri, percípere et possidére possítis.

Te Deum laudámus.

Ad Laudes

et per Horas

Ant. 1 Díscite a me * quia mitis sum, et húmilis corde, et inveniétis réquiem animábus vestris.

Psalmi de Dominica.

2 Suávis est Dóminus, * et in ætérnum misericórdia ejus.

3 Sitívit in te * ánima mea; quia mélior est misericórdia tua super vitas.

4 Sancti et húmiles corde, * benedícite Dómino: laudáte et superexaltáte eum in sǽcula.

5 Beneplácitum est * Dómino in pópulo suo: et exaltábit mansuétos in salútem.

Capit. Cant. 3, 11

Egredímini, et vidéte, fíliæ Sion, regem Salomónem in diadémate, quo coronávit illum mater sua in die desponsatiónis ejus, et in die lætítiæ cordis ejus.

Hymnus

Summi Paréntis Fílio,
Patri futúri sǽculi,
Pacis beátæ Príncipi,
Promámus ore cánticum.

Qui vulnerátus péctore
Amóris ictum pértulit,

Amóris urens ígnibus
Ipsum qui amántem díligunt.

Jesu dolóris víctima,
Quis te innocéntem cómpulit,
Dura ut apértum láncea
Latus patéret vúlneri?

O fons amóris íncly-te!
O vena aquárum límpida!
O flamma adúrens crímina!
O Cordis ardens cáritas!

In Corde, Jesu, júgiter
Recónde nos, ut úberi
Dono fruámur grátiæ,
Cælíque tandem præmiis.

Jesu, tibi sit glória,
Qui natus es de Vírgine,
Cum Patre, et almo Spíritu,
In sempitérna sæcula.
Amen.

℣. Misericórdia Dómini ab ætérno. ℟. Et usque in ætérnum super timéntes eum.

Ad Bened. Ant. Per víscera misericórdiæ suæ visitávit nos Deus, et fecit redemptiónem pópuli sui, allelúja.

Oratio

Fac nos, Dómine Jesu, sanctíssimi Cordis tui virtútibus indui, et afféctibus inflammári: ut et imágini bonitátis tuæ confórmes, et tuæ redemptiónis mereámur esse partícipes. Qui vivis et regnas.

Ad Horas Psalmi de Dominica, ad Primam tamen ut in Festis, et ad eam in ℟. br. ℣. Per quem salváti et liberáti sumus.

Ad Tertiam

Capit. Egredímini, ut supra ad Laudes.

℟. br. Misericórdia tua, Dómine, * Plena est terra. - Misericórdia. ℣. Justificatiónes tuas doce me. - Plena. - Glória. - Misericórdia.

℣. Secúndum misericórdiam tuam vivífica me, Dómine. ℟. Et custódiam testimónia oris tui.

Ad Sextam

Capit. Cant. 8, 6

Pone me ut signáculum super cor tuum, ut signáculum super bráchium tuum: quia fortis est ut mors diléctio.

℟. br. **Secúndum misericórdiam tuam * Vivífica me, Dómine. - Secúndum.** ℣. **Et custódiam testimónia oris tui. - Vivífica. - Glória Patri. - Secúndum.**

℣. **Fac cum servo tuo secúndum misericórdiam tuam.** ℟. **Et justificatiónes tuas doce me.**

Ad Nonam

Capit. Ps. 68, 21

Impropérium exspectávit cor meum, et misériam. Et sustínui qui simul contristarétur, et non fuit; et qui consolarétur, et non invéni.

℟. br. **Fac cum servo tuo * Secúndum misericórdiam tuam. - Fac.** ℣. **Et justificatiónes tuas doce me. - Secúndum. - Glória Patri. - Fac.**

℣. **Véniat super me misericórdia tua, Dómine.** ℟. **Salutáre tuum secúndum elóquium tuum.**

In II Vesperis

Ant. **De torrénte in via bibet, proptérea exaltábit caput.**

Psalmus 109

Dixit Dóminus Dómino meo: * Sede a dextris meis:

Donec ponam inimícos tuos, * scabéllum pedum tuórum.

Virgam virtútis tuæ emíttet Dóminus ex Sion: * domináre in médio inimicórum tuórum.

Tecum princípium in die virtútis tuæ in splendóribus sanctórum: * ex útero ante lucíferum génui te.

Jurávit Dóminus, et non pœnitébit eum: * Tu es sacérdos in ætérnum secúndum órdinem Melchísedech.

Dóminus a dextris tuis, * confrégit in die iræ suæ reges.

Judicábit in natiónibus, implébit ruínas: * conquassábit cápita in terra multórum.

De torrénte in via bibet: * proptérea exaltábit caput.

Ant. **De torrénte in via bibet, proptérea exaltábit caput.**

Ant. **Miserátor Dóminus redemptiónem misit pópulo suo.**

Psalmus 110

Confitébor tibi, Dómine, in toto corde meo: * in consílio justórum, et congregatióne.

Magna ópera Dómini: * exquisíta in omnes voluntátes ejus.

Conféssio et magnificéntia opus ejus: * et justítia ejus manet in sæculum sæculi.

Memóriam fecit mirabílium suórum, miséricors et miserátor Dóminus: * escam dedit timéntibus se.

Memor erit in sæculum testaménti sui: * virtútem óperum suórum annuntiábit pópulo suo:

Ut det illis hereditátem Géntium: * ópera mánuum ejus véritas, et judícium.

Fidélia ómnia mandáta ejus: confirmáta in sæculum sæculi, * facta in veritáte et æquitáte.

Redemptiónem misit pópulo suo: * mandávit in ætérnum testaméntum suum.

Sanctum, et terríbile nomen ejus: * inítium sapiéntiæ timor Dómini.

Intelléctus bonus ómnibus faciéntibus eum: * laudátio ejus manet in sæculum sæculi.

Ant. Miserátor Dóminus redemptiónem misit pópulo suo.

Ant. Apud Dóminum misericórdia, et copiósa apud eum redémptio.

Psalmus 129

De profúndis clamávi ad te, Dómine: * Dómine, exáudi vocem meam:

Fiant aures tuæ intendéntes, * in vocem deprecatiónis meæ.

Si iniquitátes observáveris, Dómine: * Dómine, quis sustinébit?

Quia apud te propitiátio est: * et propter legem tuam sustínui te, Dómine.

Sustínuit ánima mea in verbo ejus: * sperávit ánima mea in Dómino.

A custódia matutína usque ad noctem: * speret Israel in Dómino.

Quia apud Dóminum misericórdia: * et copiósa apud eum redémptio.

Et ipse rédimet Is-

rael, * ex ómnibus iniquitátibus ejus.

Ant. **Apud Dóminum misericórdia, et copiósa apud eum redémptio.**

Ant. **Super misericórdia tua, Dómine, confitébor tibi in toto corde meo.**

Psalmus 137

Confitébor tibi, Dómine, in toto corde meo: * quóniam audísti verba oris mei.

In conspéctu Angelórum psallam tibi: * adorábo ad templum sanctum tuum, et confitébor nómini tuo.

Super misericórdia tua, et veritáte tua: * quóniam magnificásti super omne, nomen sanctum tuum.

In quacúmque die invocávero te, exáudi me: * multiplicábis in ánima mea virtútem.

Confiteántur tibi, Dómine, omnes reges terræ: * quia audiérunt ómnia verba oris tui:

Et cantent in viis Dómini: * quóniam magna est glória Dómini.

Quóniam excélsus Dóminus, et humília réspicit: * et alta a longe cognóscit.

Si ambulávero in médio tribulatiónis, vivificábis me: * et super iram inimicórum meórum extendísti manum tuam, et salvum me fecit déxtera tua.

Dóminus retríbuet pro me: * Dómine, misericórdia tua in sæculum: ópera mánuum tuárum ne despícias.

Ant. **Super misericórdia tua, Dómine, confitébor tibi in toto corde meo.**

Ant. **Suávis Dóminus univérsis, et miseratiónes ejus super ómnia ópera ejus.**

Psalmus 144

Exaltábo te, Deus meus, rex: * et benedícam nómini tuo in sæculum, et in sæculum sæculi.

Per síngulos dies benedícam tibi: * et laudábo nomen tuum in sæculum, et in sæculum sæculi.

Magnus Dóminus et laudábilis nimis: * et magnitúdinis ejus non est finis.

Generátio et generátio laudábit ópera tua: * et poténtiam tuam pronuntiábunt.

Magnificéntiam glóriæ sanctitátis tuæ loquéntur: * et mirabília tua narrábunt.

Et virtútem terribílium tuórum dicent: * et magnitúdinem tuam narrábunt.

Memóriam abundántiæ suavitátis tuæ eructábunt: * et justítia tua exsultábunt.

Miserátor et miséricors Dóminus: * pátiens, et multum miséricors.

Suávis Dóminus univérsis: * et miseratiónes ejus super ómnia ópera ejus.

Confiteántur tibi, Dómine, ómnia ópera tua: * et sancti tui benedícant tibi.

Glóriam regni tui dicent: * et poténtiam tuam loquéntur:

Ut notam fáciant fíliis hóminum poténtiam tuam: * et glóriam magnificéntiæ regni tui.

Regnum tuum regnum ómnium sæculórum: * et dominátio tua in omni generatióne et generatiónem.

Fidélis Dóminus in ómnibus verbis suis: * et sanctus in ómnibus opéribus suis.

Allevat Dóminus omnes, qui córruunt: * et érigit omnes elísos.

Oculi ómnium in te sperant, Dómine: * et tu das escam illórum in témpore opportúno.

Aperis tu manum tuam: * et imples omne ánimal benedictióne.

Justus Dóminus in ómnibus viis suis: * et sanctus in ómnibus opéribus suis.

Prope est Dóminus ómnibus invocántibus eum: * ómnibus invocántibus eum in veritáte.

Voluntátem timéntium se fáciet, * et deprecatiónem eórum exáudiet: et salvos fáciet eos.

Custódit Dóminus omnes diligéntes se: * et omnes peccatóres dispérdet.

Laudatiónem Dómini loquétur os meum: * et benedícat omnis caro nómini sancto ejus in sæculum, et in sæculum sæculi.

Ant. Suávis Dóminus univérsis, et miseratiónes ejus super ómnia ópera ejus.

Capit. Cant. 3, 11

Egredímini, et vidéte, fíliæ Sion, regem Salomónem in diadémate, quo coronávit illum mater sua in die desponsatiónis ejus, et in die lætítiæ cordis ejus.

Hymnus

Quicúmque certum quæritis
Rebus levámen ásperis:
Seu culpa mordet ánxia,
Seu pœna vos premit comes,

Jesu, qui, ut agnus ínnocens
Sese immolándum trádidit,
Ad Cor reclúsum vúlnere,
Ad mite Cor accédite.

Audítis, ut suavíssimis
Invítet omnes vócibus?
Veníte, quos gravat labor,
Premítque pondus críminum.

Quid Corde Jesu mítius?
Jesum cruci qui affíxerant
Excúsat et Patrem rogat,
Ne perdat ultor ímpios.

O Cor, volúptas Cælitum,
Cor fida spes mortálium,
En hisce tracti vócibus
Ad te venímus súpplices.

Tu nostra terge vúlnera
Ex te fluénte sánguine:
Tu da novum cor ómnibus,
Qui te geméntes ínvocant. Amen.

℣. Misericórdia Dómini a progénie in progénies. ℟. Timéntibus eum.

Ad Magnif. Ant. Suscépit nos Dóminus in sinum et Cor suum, recordátus misericórdiæ suæ, allelúja.

Oratio

Fac nos, Dómine Jesu, sanctíssimi Cordis tui virtútibus indui, et affectibus inflammári: ut et imágini bonitátis tuæ confórmes, et tuæ redemptiónis mereámur esse partícipes. Qui vivis et regnas cum Deo Patre in unitáte Spíritus Sancti Deus.

Completor. de Dominica.

—✳—

Die 30 Maji

Antiochiæ:

S. FERDINANDI

Regis, Conf.
Patr. princ. Diœc.

Duplex I classis cum Octava communi

Omnia de Communi Conf. non Pont. præter sequentia.

Oratio

Deus, qui beáto Confessóri tuo Ferdinándo præliári prælia tua, et fídei inimícos superáre dedísti: concéde; ut ejus nos intercessióne muníti, ab hóstibus mentis et córporis liberémur. Per Dóminum nostrum.

Completor. de Dom.

In I Noct. Lectiones Beátus vir, de eodem Comm. 1 loco.

In II Nocturno

Lectio iv

Ferdinándus tértius, Castéllæ et Legiónis rex, cui Sancti cognoméntum jam inde a quátuor sæculis ecclesiasticórum et sæculárium consénsus dedére, tantum prudéntiæ adoléscens adhuc spécimen præbuit, ut Berengária mater, Castéllæ regína, a qua persáncte educátus fúerat, abdicátum a se regnum in fílium transtúlerit. In eo, adjúnctis regni curis, régiæ virtútes emicuére: magnanímitas, cleméntia, justítia, et præ céteris cathólicæ fídei zelus, ejúsque religiósi cultus tuéndi ac propagándi ardens stúdium. Id præstitit in primis hæréticos insectándo, quos núllibi regnórum suórum consístere passus, própriis ipse mánibus ligna comburéndis damnátis ad rogum advehébat. Præstitit ínsuper in erigéndis, dotándis, et consecrándis christiáno ritu Cordubénsi, Giennénsi, Hispalénsi, et aliárum úrbium ecclésiis, Máurico ereptárum jugo, simúlque in instaurándis primáriis templis Toletáno, Burgénsi, et áliis pia et régia munificéntia.

℞. **Honéstum fecit illum Dóminus, et custodívit eum ab inimícis, et a seductóribus tutávit illum: * Et dedit illi claritátem ætérnam.** ℣. **Justum de-**

dúxit Dóminus per vias rectas, et osténdit illi regnum Dei. - Et dedit.

Lectio v

Inter hæc per Castéllæ et Legiónis regnum, in quo patri Alfónso succésserat, colléctis magnis exercítibus, ánnuas expeditiónes contra Saracénos, christiáni nóminis hostes, suscépit. In quibus, ut semper vínceret, præcípui exércitus fuére preces piíssimi regis ad Deum fusæ, et quod ante pugnam, ut sibi Deum propitiáret, flagris in se sæviébat, atque áspero cilício muniébat corpus: sicque insígnes contra ingéntes Maurórum ácies victórias reportávit, et plures urbes christiáno cúltui imperióque restítuit; et conquisítis Giénnii, Córdubæ et Múrciæ regnis, ac Granaténsi vectigáli facto, ad expugnándam Híspalim primáriam Bœticæ urbem, hortánte in visióne (ut tráditum est) beáto Isidóro, olim illíus urbis Epíscopo, victrícia signa tránstulit. In ea obsidióne, ut fertur, præséntem divínam opem hábuit: nam férream caténam, quæ super Bœtim transvérsim exténsa Mahometánis pro repágulo erat, coórto validióri vento, una ex návibus régiis, regis jussu eo deláta, tanto ímpetu fregit, ut lóngius prætervécta pontem quoque lígneum, et simul spes Maurórum obrúperit, et ad deditiónem coégerit.

℞. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum: stolam glóriæ índuit eum, * Et ad portas paradísi coronávit eum. ℣. Induit eum Dóminus loricam fídei, et ornávit eum. - Et.

Lectio vi

Tot victórias beátæ Vírginis Maríæ patrocínio ferébat accéptas, cujus imáginem secum in castris habens peculiári cultu prosequebátur. Capta Híspali, prima religiónis cura fuit; nam templum Maurórum expiátum, et Christianórum dedicátum sacris, insígni archiepiscopátu, et honestíssi-

mo canonicórum et dignitátum collégio, régia et religiósa liberalitáte exornávit. Alia deínde in urbe templa et cœnóbia eréxit: inter quæ pietátis officia, dum trajícere in Africam parat, Mahometánum in ea impérium eversúrus, ad cæléstem régiam vocátur. In extrémo vitæ agóne sacram Eucharístiam pro viático allátam, fune ad collum alligáto, et humi stratus, cum lácrimis ubértim fusis adórans, eáque dignis reveréntiæ, humilitátis, et cathólicæ fídei obtestatiónibus accépta, obdormívit in Dómino. Jacet ejus corpus incorrúptum adhuc post quátuor sæcula in templo máximo Hispalénsi, honorificentíssimo inclúsum sepúlchro.

℟. **Iste homo perfécit ómnia quæ locútus est ei Deus, et dixit ad eum: Ingrédere in réquiem meam: * Quia te vidi justum coram me ex ómnibus géntibus.** ℣ **Iste est, qui contémpsit vitam mundi, et pervénit ad cæléstia regna. - Quia. - Glória Patri. - Quia.**

In III Noct. Homilia in Evang. **Nolite timére**, de eodem Comm. 2 loco.

¶ Infra Oct. et in die Oct. Ant. et Ps. ad omnes Horas et Versus Nocturnorum de occurrenti hebdomadæ die. ut in Psalterio; Oratio ut in Festo, reliqua de Comm. Conf. non Pont. præter Lectiones, quæ in I Noct. dicuntur de Script. occurrenti cum suis ℟℟. de Tempore, in II et III pro singulis diebus assignantur propriæ.

—✳—

Die 1 Junii

Antiochiæ:

De III die infra Oct. S. FERDINANDI

Semiduplex

In II Noct. Lectiones **Beáti Ferdinándi dies**, de Comm. Conf. non Pont. 1 loco.

In III Nocturno

Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam

Lectio vii C. 12, 32-34

In illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis: Nolíte timére pu-

síllus grex, quia complácuit Patri vestro dare vobis regnum. Et réliqua.

Homilía sancti Fulgéntii Epíscopi
Sermo de Confessor.

Si non omnes possunt implére, quod Dóminus ait: Véndite, quæ possidétis; illud tamen, quod adjécit, dicens: Date eleemósynam; ómnibus est possíbile, si adsit bona volúntas; ómnibus fácile, si non adsit dira cupíditas; ómnibus salúbre, si férveat cáritas; cunctis debet esse commúne, ut ómnibus donétur ætérna felícitas. Qui ergo tantam virtútem accépit a Dómino, ut ómnia, quæ in mundo sunt, cæléstis regni amóre contémnat, quæ habet vendat, et egénis expéndat; qui vero tantæ virtútis nondum est, de his quæ habet, in quantum habet, eleemósynam fáciat.

℟. Iste est, qui ante Deum magnas virtútes operátus est, et de omni corde suo laudávit Dóminum: * Ipse intercédat pro peccátis ómnium populórum. ℣. Ecce homo sine queréla, verus Dei cultor, ábstinens se ab omni ópere malo, et pérmanens in innocéntia sua. - Ipse.

Lectio viii

Perféctus possídeat primum virtútis locum, imperféctus saltem pervéniat ad secúndum. Efficiátur ille glorióse dignus, sit iste laudabíliter largus. Sit ille sanctæ paupertátis ardentíssimus amátor, sit iste sanctórum páuperum piíssimus consolátor. Hábeat iste apud Deum patrónos páuperes, quos ille se gaudet virtútis habére consórtes. Sit ille talis, qui cum Dómino judicatúrus sédeat: sit iste talis, qui ad déxteram judicándus assístat. Sit ille talis, qui ætérna tabernácula perpétuo jure possídeat: sit iste talis, quem ille recípiat.

℟. Sint lumbi vestri præcíncti, et lucérnæ ardéntes in mánibus vestris: * Et vos símiles homínibus ex-

spectántibus dóminum suum, quando revertátur a núptiis. ℣. **Vigiláte ergo, quia nescítis qua hora Dóminus vester ventúrus sit. - Et. - Glória Patri. - Et.**

Lectio ix

Thesáurum nostrum, fratres, in cælis ponámus, ut étiam cor nostrum in cælis habére possímus. Necésse est enim, ut quo præcésserit dilectiónis thesáurus, illuc étiam cogitatiónis sequátur afféctus. Ideo Véritas ait: Ubi enim thesáurus vester est, ibi et cor vestrum erit. Ut ergo in cælis thesaurizémus, cæléstia diligámus. Vis nosse ubi thesaurízas? atténde quid amas. Vis nosse, quid amas? atténde quid cógitas. Ita fiet, ut thesáurum tuum ex tuo amóre cognóscas, et amórem tuum judício tuæ cogitatiónis intélligas.

Te Deum laudámus.

Vesp. de Oct. Com. Ss. Marcellini et Sociorum Martyrum.

—✳—

Die 2 Junii

Antiochiæ:

De IV die infra Oct.

S. FERDINANDI

Semiduplex

In Vesperis pro Com. Ss. Marcellini et Sociorum: Ant. **Istórum,** ℣. **Lætámini,** Oratio **Deus, qui nos ánnua.**

In II Nocturno

Sermo sancti Joánnis Chrysóstomi

De S. Philogonio ante medium

Lectio iv

Ad hanc beátam réquiem tránsiit beátus Ferdinándus. Quænam ígitur orátio par sit viri láudibus, quem Deus tam felíci sorte dignátus est? Non est ulla. Sed age, dic mihi, num idcírco silébimus? et cujus rei grátia convénimus? An dicémus non haud posse magnitúdinem gestórum oratióne cónsequi? Atqui ob hoc ipsum necésse est dícere; quandóquidem hæc est præcípua laudum illíus pars, quod factis verba æquiparári non possint. Nam quorum benefácta

natúram étiam súperant mortálem, perspícuum est, quod horum laudes excédunt linguam humánam. Haud tamen ob id aspernábitur offícium nostrum, quod pro víribus præstámus, sed suum imitábitur Dóminum; síquidem et ille víduæ duos tantum óbolos dejiciénti in gazophylácium non tantum duórum obolórum mercédem sed multo ámplius réddidit.

℟. Honéstum fecit illum Dóminus, et custodívit eum ab inimícis, et a seductóribus tutávit illum: * Et dedit illi claritátem ætérnam. ℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas, et osténdit illi regnum Dei. - Et dedit.

Lectio v

Proínde quamvis nostræ facultátes exíguæ sint minimíque prétii, áttamen, quæ póssumus, offérimus. Et licet non respóndeant magnitúdini meritórum ánimæ præclári justíque Ferdinándi, tamen hoc ipsum celsitúdinis illíus máximum fúerit arguméntum, quod nec pusílla repéllat, sed idem fáciat, quod solent dívites. Síquidem illi, cum accéperint a tenúibus exígua, quibus non egent, sua vicíssim appónunt remunerántes eos, qui, quod póterant, obtúlerint. Itidem et hic, cum accéperit a nobis laudem verbis peráctam, qua nequáquam eget, redonábit nobis per ipsa facta benedictiónem, qua semper uti possímus.

℟. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum: stolam glóriæ índuit eum, * Et ad portas paradísi coronávit eum. ℣. Induit eum Dóminus loricam fídei, et ornávit eum. - Et.

Lectio vi

Unde ígitur laudatiónem illíus auspicábimur? An a magistrátu, quem spíritus illi trádidit grátia? Nam mundáni magistrátus nequáquam possunt christianórum demonstráre virtútes, quin pótius frequénter habent accusatiónem malítiæ. Quam ob cau-

sam? quóniam et sollicitúdines amicórum et circumcursatiónes et adulatiónes aliáque permúlta his fœdióra tales magistrátus solent conciliáre. Céterum ubi Deus suo suffrágio designárit áliquem, incorrúptum suffrágium, aliénum ab omni suspicióne judícium, indubitáta fúerit deléctí comprobátio, propter ejus, qui delégit, auctoritátem.

℟. Iste homo perfécit ómnia quæ locútus est ei Deus, et dixit ad eum: Ingrédere in réquiem meam: * Quia te vidi justum coram me ex ómnibus géntibus. ℣. Iste est, qui contémpsit vitam mundi, et pervénit ad cæléstia regna. - Quia. - Glória Patri. - Quia.

In III Nocturno

Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam

Lectio vii C. 12, 32-34

In illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis : Nolíte timére pusíllus grex, quia complácuit Patri vestro dare vobis regnum. Et réliqua.

Homilía sancti Petri Chrysólogi

Sermo 22

Præmia statuúntur iis semper, quibus certámina dura proponúntur: ac pro magnitúdine certáminis, præmii propónitur magnitúdo. Hinc est, quod discípulis suis Christus regnum ponit in præmio, ut in certámine non cedant perículis, non timóri. Perícula déspicit, qui tendit ad regnum: victóriæ cúpidus nescit timére. Nolíte timére, inquit, pusíllus grex: quia complácuit Patri vestro dare vobis regnum. Grex pusíllus mundo, magnus Deo: pusíllus, quia glorósos vocat eos, quos instítuit ad óvium innocéntiam, et mansuetúdinem christiánam.

℟. Iste est, qui ante Deum magnas virtútes operátus est, et de omni corde suo laudávit Dóminum: * Ipse intercédat pro peccátis ómnium populórum. ℣. Ecce homo sine queréla, verus Dei cultor, ábstinens se ab omni ópere malo, et pérma-

nens in innocéntia sua. - Ipse.

Lectio viii

Adjécit quid faciéndum sit regnatúris: Véndite, quæ possidétis. Non potest dominári ómnibus, nisi is, qui própriis non tenétur. Dejéctæ mentis est, qui familiáris rei méminit, cum vocátur ad regnum; jacens ánimus plebéjus númmulum thesáuris regálibus antepónit. Pauper sensus parvis íncubans, perdit magna: et ínhians temporálibus, déserit sempitérna. Homo, tali mónitu Christus te ditáre vóluit, non nudáre: manére tibi tua vóluit, non períre: perpetuári, non vacuári sácculos imperávit: jussit te transférre, non pérdere.

℟. **Sint lumbi vestri præcíncti, et lucérnæ ardéntes in mánibus vestris: * Et vos símiles homínibus exspectántibus dóminum suum, quando revertátur a núptiis.** ℣. **Vigiláte ergo, quia nescítis qua hora Dóminus vester ventúrus sit. - Et. - Glória. - Et.**

IX Lectio de Ss. Marcellino et Sociis Mm., ut in Breviario, et fit eorumdem Commemoratio in Laud.: Ant. **Vestri capílli,** ℣. **Exsultábunt**, Oratio **Deus, qui nos ánnua.**

—✳—

Die 3 Junii

Antiochiæ:

De V die infra Oct.

S. FERDINANDI

Semiduplex

In II Nocturno

De Sermóne sancti Joánnis Chrysóstomi

Unde supra, paulo post

Lectio iv

Quantum autem sit pietátis arguméntum, quod Deus illum tanto magistrátu dignum judicárit, audi. Christus excitátus a morte quid dicit Petro? Postquam enim illum interrogásset: Petre, amas me? isque respondísset: Tu, Dómine, scis quod amo te; dicit illi: Si díligis me, pasce oves meas. Hoc autem dicébat, non solum ut nobis certíssime declaráret quantópere ipsum diligeret Petrus; verum étiam,

ut palam fáceret quantam habéret benevoléntiam erga suas oves. Itaque si quis volúerit illi commendátus esse, curam hábeat óvium illíus, públicam quærat utilitátem, fratrum suórum salúti prospíciat.

℟. Honéstum fecit illum Dóminus, et custodívit eum ab inimícis, et a seductóribus tutávit illum: * Et dedit illi claritátem ætérnam. ℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas, et osténdit illi regnum Dei. - Et dedit.

Lectio v

Nullum enim offícium hoc Deo cárius est, et ob id alícubi dicit: Simon, Simon, expetívit te sátanas, ut cribráret te tamquam tríticum; sed ego rogávi pro te, ne defíciat fides tua. Quid ígitur hujus sollicitúdinis curæque præmium mihi repéndis? Eámdem curam, quam nobis impéndit, repóscit. Nam et tu, inquit, aliquándo convérsus confírma fratres tuos. Neque prorsus ália res est, quæ períndе decláret doceátque, quis sit fidélis et amans Christi, quam si fratrum curam agat, proque illórum salúte gerat sollicitúdinem.

℟. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum, stolam glóriæ índuit eum, * Et ad portas paradísi coronávit eum. ℣. Induit eum Dóminus lorícam fídei, et ornávit eum. - Et.

Lectio vi

Hæc omnes áudiant et mónachi, qui móntium occupárunt cacúmina, quique modis ómnibus seípsos mundo crucifixérunt, quo pro víribus Ecclesiárum præféctos ádjuvent, horúmque curas léniant précibus, concórdia, caritáte; sciéntes, quod nisi modis ómnibus opituléntur iis, qui tot perículis objiciúntur, per grátiam Dei, totque negotiórum curas sústinent, quibuscúmque possunt ratiónibus auxiliéntur, quamquam procul habitántes, et victus sors ipsis periísset, et tota in scópulum impegísset sapiéntia.

℟. Iste homo perfécit ómnia quæ locútus est ei Deus, et dixit ad eum: Ingrédere in réquiem meam: * Quia te vidi justum coram me ex ómnibus géntibus. ℣. Iste est, qui contémpsit vitam mundi, et pervénit ad cæléstia regna. - Quia. - Glória Patri. - Quia.

In III Nocturno

Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam

Lectio vii C. 12, 32-34

In illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis: Nolíte timére pusíllus grex, quia complácuit Patri vestro dare vobis regnum. Et réliqua.

De Homilía sancti Petri Chrysólogi

Sermo 23

Audístis hódie, quemádmodum Dóminus pastoráli júbilo clangórem tubæ cæléstis adjúnxit, ut diu inclinátas óvium mentes ad divína tólleret, cæléste prótinus promovéret ad regnum. Acquisívit humílitas, supérbia quod amísit: et grex pusíllus ac mitis, totas et várias edómuit própria mansuetúdine feritátes; pusíllus grex vicit ac fregit tot génera bestiárum, quot diversitátes súbdidit jugo Christi natiónum.

℟. Iste est, qui ante Deum magnas virtútes operátus est, et de omni corde suo laudávit Dóminum: * Ipse intercédat pro peccátis ómnium populórum. ℣. Ecce homo sine queréla, verus Dei cultor, ábstinens se ab omni ópere malo, et pérmanens in innocéntia sua. - Ipse.

Lectio viii

Grex pusíllus ac mitis diu conténtus occídi, diu devorári passus est, donec gentílis sævítia sánguine satiáta vel cárnibus, Evangélici pábuli suavitátem, et divíni fontis fluénta degústans, totum contágium sæculi evitáret et pastum: atque in hóminem redíret ex béstia, qui ex hómine fúerat dilápsus in béstiam. Hoc sensísse ante Prophétas, hoc Apóstolos implésse, hoc pertulísse Mártyres constat,

attestánte illo qui dicit: Propter te mortificámur tota die, æstimáti sumus ut oves occisiónis. Ut vero iste grex novi órdinis aggrederétur prælium, ubi vivit ille, qui fuit occísus, imitátus est suum regem, illum secútus est Agnum, qui sicut ovis ad occisiónem ductus est.

℟. Sint lumbi vestri præcíncti, et lucérnæ ardéntes in mánibus vestris: * Et vos símiles homínibus exspectántibus dóminum suum, quando revertátur a núptiis. ℣. Vigiláte ergo, quia nescítis qua hora Dóminus vester ventúrus sit. - Et. - Glória Patri. - Et.

Lectio ix

Tibi ergo rex, tibi sacérdos, tibi pastor, tibi sacrifícium, tibi ovis, tibi agnus, tibi totum factus est, qui fécerat totum. Et qui sibi numquam, tibi tóties immutátur; propter te várias monstrátur in formas, qui manet única suæ majestátis in forma. Et quid plura? dat se tibi Deus homo, ut ferre potes; quia, ut est, tu non potes sustinére.

Te Deum laudámus.

—✳—

Die 6 Junii

Antiochiæ:

In Octava

S. FERDINANDI

Regis, Conf.

Duplex majus

In I Vesp. fit Com. S. Bonifatii: Ant. **Qui vult,** ℣. **Justus,** Oratio **Deus, qui multitúdinem.**

Deinde Com. S. Norberti Ep. et Conf.: Ant. **Sacérdos,** ℣. **Justum,** Oratio **Deus, qui beátum.**

In II Nocturno

Sermo sancti Bernárdi Abbátis

Serm. 2 de S. Victore

Lectio iv

Gaudéte in Dómino, dilectíssimi, qui inter contínua suæ pietátis benefícia indúlsit hóminem mundo, cujus multi salvaréntur exémplo. Iterum dico: Gaudéte, quod factus de médio appropiávit Deo, ut multo plures ejus intercessióne salvéntur. In terris visus

est, ut esset exémplo: in cælum levátus est, ut sit patrocínio. Hic infórmat ad vitam, illic invítat ad glóriam: factus est mediátor ad regnum, qui fuit incitátor ad opus. Bonus mediátor, qui sibi jam póstulans nihil, totum in nos transférre desíderat et supplicántis afféctum, et supplicatiónis fructum: quid enim quærat sibi, qui nullíus eget?

℟. Honéstum fecit illum Dóminus, et custodívit eum ab inimícis, et a seductóribus tutávit illum: * Et dedit illi claritátem ætérnam. ℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas, et osténdit illi regnum Dei. - Et dedit.

Lectio v

Hæc dies gloriósæ migratiónis ejus, dies lætítiæ cordis ejus, exsultémus et lætémur in ea: introívit in poténtias Dómini, gaudeámus, quia nunc poténtior est ad salvándum. Hódie Ferdinándus pósito córpore, tanto alácrior, quanto expedítior penetrávit in sancta, símilis factus in glória sanctórum. Hódie, despécto mundo, et mundi príncipe triumpháto, supra mundum vere victor ascéndit, accípiens de manu Dómini corónam victóriæ. Ascéndit autem cum imménsa supelléctili meritórum, clarus triúmphis, miráculis gloriósus: sedet veteránus miles, débita jam suavitáte et securitáte quiétus; secúrus quidem sibi, sed nostri sollícitus. O venerándam étiam ipsis Angelis sanctitátem! quam pari stúdio, etsi dispari voluntáte, et mali fúgitant, et frequéntant boni! Nec fácile díxerim, quid virum ádstruat sanctiórem, horum favor, aut pavor illórum.

℟. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum: stolam glóriæ índuit eum, * Et ad portas paradísi coronávit eum. ℣. Induit eum Dóminus loricam fídei, et ornávit eum. - Et ad portas.

Lectio vi

O miles emérite, qui christiánæ milítiæ

duris labóribus angélicæ felicitátis réquiem commutásti! réspice ad imbélles et imbecílles commilitónes tuos, qui inter hostíles gládios et spiritáles nequítias tuis láudibus occupámur. Quam pium, quam dulce, quam suáve, o Ferdinánde, in hoc loco afflictiónis et in hoc córpore mortis te cánere, te cólere, te precári! Nomen tuum, et memoriále tuum favus distíllans in lábiis captivórum; mel et lac sub lingua eórum, qui tui memória delectántur. Eia ergo, fortis athléta, dulcis patróne, advocáte fidélis, exsúrge in adjutórium nobis; ut et nos de nostra ereptióne gaudeámus, et tu de plena victória gloriéris.

℟. **Iste homo perfécit ómnia quæ locútus est ei Deus, et dixit ad eum: Ingrédere in réquiem meam: * Quia te vidi justum coram me ex ómnibus géntibus.** ℣. **Iste est, qui contémpsit vitam mundi, et pervénit ad cæléstia regna. - Quia. - Glória Patri. - Quia.**

In III Nocturno

Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam

Lectio vii **C. 12, 32-34**

In illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis: Nolíte timére pusíllus grex, quia complácuit Patri vestro dare vobis regnum. Et réliqua.

De Homilía sancti Petri Chrysólogi

Sermo 25 initio

Hódie Dóminus evangélici gregis pusílla et ténera primórdia quam blanda exhortatióne sit consolátus, audístis. Aufert spes ánxias, dúbios tollit evéntus, omnémque propéllit et exclúdit timórem, quando in exórdio ipso regnum nascéntibus pollicétur. Quis de victu, quis de vestítu, quis de plebéjo censu, et vernális céspitis vilitáte suspírat, de regno certus, de dominatióne secúrus? Satis sibi ínvidet, qui elevátus ad summa, ipse se ad humília déjicit, ad egéna depónit.

℟. **Iste est, qui ante Deum magnas virtútes operátus est, et de om-**

ni corde suo laudávit Dóminum: * Ipse intercédat pro peccátis ómnium populórum. ℣. Ecce homo sine queréla, verus Dei cultor, ábstinens se ab omni ópere malo, et pérmanens in innocéntia sua. - Ipse.

Lectio viii

Sed scire cónvenit, Pater iste quis est, vel qualis est, vel quod regnum suis fíliis repromíttit. Quis sit iste Pater, quotídie te confiténte cognóscis, cum clamas: Pater noster, qui es in cælis. Qualis autem sit, ipsa óperum magnitúdine pervidísti. Ex níhilo fecit cælum, terram solidávit ex líquido, montes státuit ad statéram, mária intra legítimos términos sola præcépti auctoritáte conclúsit. Verum si regni, quod promíttit pusíllis, desíderas nosse qualitátem, ipse áperit sic dicéndo: Sínite párvulos veníre ad me: tálium est enim regnum cælórum. Esse in cælo mirum est: in cælo vívere est majestátis.

℟. Sint lumbi vestri præcíncti, et lucérnæ ardéntes in mánibus vestris: * Et vos símiles homínibus exspectántibus dóminum suum, quando revertátur a núptiis. ℣. Vigiláte ergo, quia nescítis qua hora Dóminus vester ventúrus sit. - Et. - Glória Patri. - Et.

Pro S. Norberto:

Lectio ix

Norbértus, nobilíssimis paréntibus natus, adoléscens liberálibus disciplínis erudítus, in ipsa póstea imperatóris aula, spretis mundi illécebris, ecclesiásticæ milítiæ adscríbi vóluit. Sacris initiátus, prædicatióni verbi Dei se totum dedit. Innúmeros hæréticos ad fidem, peccatóres ad pœniténtiam, dissidéntes ad pacem et concórdiam revocávit. Desértum locum, qui Præmonstrátus dicebátur, in Laudunénsi diœcési sibi delégit: ibíque trédecim sóciis aggregátis, Præmonstraténsem órdinem instítuit, qui miríﬁce propagátus est. Archiepíscopus Magdeburgénsis, licet

relúctans, creátus, ecclesiásticam disciplínam, cælibátum præsértim, constánter propugnávit. Rhemis in concílio Innocéntium secúndum egrégie adjúvit, et Romam cum áliis epíscopis proféctus, schisma Petri Leónis compréssit. Magdebúrgi obdormívit in Dómino, anno salútis millésimo centésimo trigésimo quarto, die sexta Június.

Te Deum laudámus.

Ad Laud. fit Com. S. Norberti: Ant. **Euge,** ℣. **Amávit eum,** Oratio **Deus, qui beátum.**

In II Vesp. fit Commemoratio S. Norberti: Ant. **Hic vir,** ℣. **Amávit eum.**

—✳—

Die 16 Junii

B. MARIÆ VIRGINIS DE SUCCURSU

Duplex maj.

Soccorro:

Titul. Eccl. Cathedr. et Diœcesis

Duplex I classis cum Octava communi

Omnia ut in Comm. Festorum B. M. V., præter sequentia.

Oratio

Omnípotens et miséricors Deus, qui ad succurréndum humáno géneri beátam Vírginem Maríam unigéniti Fílii tui Matrem esse voluísti: da nobis, quæsumus; ut ea intercedénte, diabólica vitáre contágia et sincéra tibi mente servíre valeámus. Per eúmdem Dóminum nostrum.

In II Nocturno

Sermo sancti Thomæ Epíscopi Conc. 1 de Assumpt. Virg.

Lectio iv

María est turris fundáta supra firmam petram in móntibus sanctis immóbili fundaménto: síquidem Deus in médio ejus non commovébitur. De hac Vírgine in Cánticis légitur: Sicut turris David quæ ædificáta est cum propugnáculis, mille clypei pendent ex ea, omnis armatúra fórtium. Vere turris David, illíus, inquam, David, qui supérbum Góliath, quinque lapídibus de torrénte, id est quinque vulnéri-

bus, et crucis báculo gloriántem in Calváriæ monte prostrávit. Facta est hæc turris Ecclésiæ propugnáculum, et peccatórum únicum refúgium, ut ad ipsam confúgiant omnes rei, omnes mæsti, omnes afflícti, et ea protegénte, liberéntur ab hoste. O homo, in quacúmque tribulatióne ad Maríam fuge, sive peccátis afflíctus, sive persecutiónibus attrítus, sive tentatiónibus turbátus, hanc turrim pétito, ad Maríam confúgito. Mille enim clypei pendent ex ea, et contra omnem æstum tribulántis, et ad omnem fáciem persequéntis dæmonis tutíssimum in ea, clypeum invénies, quo te prótegas.

℟. Sicut cedrus exaltáta sum in Líbano, et sicut cypréssus in monte Sion: quasi myrrha elécta, * Dedi suavitátem odóris. ℣. Et sicut cinnamómum et bálsamum aromatízans. - Dedi.

Lectio v

Ibi est enim omnis armatúra fórtium, ibi fides Apostolórum, ibi fortitúdo Mártyrum, ibi púritas Vírginum, Doctórum sapiéntia, Anachoretárum paupértas, devótio Confessórum; ibi dénique ómnium Sanctórum virtus agglomeráta reperítur. Nihil enim umquam alícui Sanctórum speciáli privilégio concéssum est, quod non a princípio vitæ et cumulátius præfúlgeat in María. Ecce castéllum fortíssimum, ecce turrim inexpugnábilem, quæ numquam diábolo præstitit tribútum ac fidem. Hanc intrávit Jesus, quando Verbum caro factum est, et habitávit in nobis; ídeo inimícos expugnatúrus et regnum suum recuperatúrus, in quo ab inítio dæmon fúerat intrúsus.

℟. Quæ est ista quæ procéssit sicut sol, et formósa tamquam Jerúsalem? * Vidérunt eam fíliæ Sion, et beátam dixérunt, et regínæ laudavérunt eam. ℣. Et sicut dies verni circúmdabant eam flores rosárum, et lília convállium. - Vidérunt.

Lectio vi

Elécta est ut esset Advocáta nostra. Nam licet Advocátum habémus apud Patrem Fílium, ut ait Joánnes; opus étiam fuit habére Matrem Advocátam apud Fílium. Nam peccátis nostris non solum Deus offénditur, cujus præcépta violámus; sed et Fílius Dei, cujus sánguinem peccándo conculcámus, rursus crucifigéntes Fílium Dei: et ídeo sicut apud Patrem interpéllat Fílius, sic apud Fílium interpéllat Mater; unde Fílius osténdit Patri latus et vúlnera, et Mater osténdit Fílio pectus et úbera: unde facta est idónea advocáta; idónea, quia puríssima, idónea, quia acceptíssima, idónea, quia piíssima: hæc enim ómnia ad Advocátam requirúntur. Eja ergo Advocáta nostra, illos tuos misericórdes óculos ad nos convérte; ad te in nostris necessitátibus accúrrimus, tuum offícium imple, tua ópera exérce.

℞. Ornátam monílibus fíliam Jerúsalem Dóminus concupívit: Et vidéntes eam fíliæ Sion, beatíssimam prædicavérunt, dicéntes: * Unguéntum effúsum nomen tuum. ℣. Astitit regína a dextris tuis in vestitu deauráto, circúmdata varietáte. - Et. - Glória Patri. - Unguéntum.

In III Nocturno

Léctio sancti Evangélii secúndum Joánnem

Lectio vii C. 19, 25-27

In illo témpore: Stabant juxta crucem Jesu Mater ejus, et soror Matris ejus María Cléophæ, et María Magdaléne. Et réliqua.

Homilía sancti Augustíni Epíscopi

Tract. 119 in Joannem

Hæc nimírum est illa hora de qua Jesus, aquam conversúrus in vinum, díxerat Matri: Quid mihi et tibi est, múlier? Nondum venit hora mea. Hanc ítaque horam prædíxerat, quæ tunc nondum vénerat, in qua debéret agnóscere moritúrus, de qua fúerat mortáliter natus. Tunc ergo divína factúrus, non

divinitátis, sed infirmitátis Matrem velut incógnitam repellébat.

℟. Felix namque es, sacra Virgo María, et omni laude digníssima: * Quia ex te ortus est sol justítiæ, Christus Deus noster. ℣. Ora pro pópulo, intérveni pro clero, intercéde pro devóto femíneo sexu: séntiant omnes tuum juvámen, quicúmque célebrant tuam sanctam Festivitátem. - Quia.

Lectio viii

Nunc autem humána jam pátiens, ex qua fúerat factus homo, afféctu commendábat humáno; morális ígitur insinuátur locus. Facit quod faciéndum ádmonet, et exémplo suo suos minístros instrúxit, præcéptor bonus, ut a fíliis impendátur cura paréntibus: tamquam lignum illud, ubi fixa erant membra moriéntis, étiam cáthedra fúerit magístri docéntis.

℟. Beátam me dicent omnes generatiónes: * Quia fecit mihi Dóminus magna qui potens est, et sanctum nomen ejus. ℣. Et misericórdia ejus a progénie in progénies timéntibus eum. - Quia fecit. - Glória Patri. - Quia fecit.

Lectio ix

Ex hac sana doctrína didícerat Paulus Apóstolus quod docébat quando dicébat: Si quis autem suis, et máxime domésticis non próvidet, fidem negávit, et est infidéli detérior. Quid autem tam cuíque domésticum, quam paréntes fíliis, aut paréntibus fílii? Hujus ítaque salubérrimi præcépti ipse Magíster Sanctórum de seípso constituébat exémplum: quando non ut fámulæ Deus, quam creáverat et regébat, sed, ut Matri homo de qua creátus fúerat, et quam relinquébat álterum pro se quodámmodo fílium providébat. Te Deum.

¶ Infra Octav. et in die Octava Antiphonæ et Psalmi ad omnes Horas et Versus Nocturnorum de occurrenti hebdomadæ die, ut in Psalterio, Oratio ut in Festo; reliqua

de Communi Festorum B. M. V. præter Lect., quæ in I Nocturno dicuntur de Scriptura occurrenti cum suis Responsoriis de Tempore, in II et III pro singulis diebus assignantur propriæ.

—✳—

Die 17 Junii

Soccorro:

De II die infra Octavam

B. MARIÆ VIRGINIS DE SUCCURSU

Semiduplex

In II Nocturno

Sermo sancti Augustíni Epíscopi Serm. 18 de Sanctis, in medio

Lectio iv

Exsúltat María, et matrem se læta mirátur, et de Spíritu Sancto se peperísse gaudet; nec quia péperit innúpta, terrétur; sed quia genúerit, cum exsultatióne mirátur. O fémina super féminas benedícta, quæ virum omníno non novit, et virum suo útero circúmdedit! Circúmdat virum María, Angelo fidem dando, quia Heva pérdidit virum, serpénti consentiéndo. O felix obediéntia, o insígnis grátia! quæ dum fidem humíliter dedit, cæli in se opíficem corporávit. Hinc proméruit glóriam, quam ipsa póstmodum auxit. Ecce, ait, ex hoc beátam me dicent omnes generatiónes.

℟. **Sicut cedrus exaltáta sum in Líbano, et sicut cypréssus in monte Sion: quasi myrrha elécta, * Dedi suavitátem odóris.** ℣. **Et sicut cinnamómum et bálsamum aromatízans. - Dedi.**

Lectio v

O beáta María, quis tibi digne váleat jura gratiárum ac laudum præcónia repéndere, quæ singulári tuo asséensu mundo succurrísti pérdito? Quas tibi laudes fragílitas humáni géneris persólvat, quæ solo tuo commércio recuperándi áditum invénit? Accipe itaque quascúmque exíles, quascúmque méritis tuis ímpares gratiárum actiónes: et cum suscéperis vota, culpas nostras orándo excúsa. Admítte nostras preces intra sacrárium exau-

ditiónis, et repórta nobis antídotum reconciliatiónis.

℟. Quæ est ista quæ procéssit sicut sol, et formósa tamquam Jerúsalem? * Vidérunt eam fíliæ Sion, et beátam dixérunt, et regínæ laudavérunt eam. ℣. Et sicut dies verni circúmdabant eam flores rosárum, et lília convállium. - Vidérunt.

Lectio vi

Sit per te excusábile quod per te ingérimus: fiat impetrábile quod fida mente póscimus. Accipe quod offérimus, redóna quod rogámus, excúsa quod timémus, quia tu es spes única peccatórum. Per te sperámus véniam delictórum, et in te, beatíssima, nostrórum est exspectátio præmiórum. Sancta María, succúrre míseris, juva pusillánimes, réfove flébiles, ora pro pópulo, intérveni pro clero, intercéde pro devóto femíneo sexu: séntiant omnes tuum juvámen, quicúmque célebrant tuam sanctam Festivitátem.

℟. Ornátam monílibus fíliam Jerúsalem Dóminus concupívit: * Et vidéntes eam fíliæ Sion, beatíssimam prædicavérunt, dicéntes: * Unguéntum effúsum nomen tuum. ℣. Astitit regína a dextris tuis in vestítu deauráto, circúmdata varietáte. - Et. - Glória Patri. - Unguéntum.

In III Nocturno

Léctio sancti Evangélii secúndum Joánnem

Lectio vii C. 19, 25-27

In illo témpore: Stabant juxta crucem Jesu Mater ejus, et soror Matris ejus María Cléophæ, et María Magdaléne. Et réliqua.

Homilía sancti Bonaventúræ Epíscopi

Enarr. in Ev. Luc. c. 2

Quantum ad mystérium domínicæ passiónis ádditur: Et dixit ad Maríam Matrem ejus: Ecce pósitus est hic in ruínam et in resurrectiónem multórum in Israel, et hoc divíno judício. In judícium ego in hunc mundum veni, ut qui non vident, vídeant, et qui vident, cæci fiant. Quantum ad martyri-

um matérnæ compassiónis dícitur: Et tuam ipsíus ánimam pertransíbit gládius, id est, tui ipsíus gládius compassiónis. Unde ipsi cómpetit illud: Ferrum pertránsiit ánimam ejus. Dolóres, quos páriens effúgit, témpore passiónis sustínuit.

℟. Felix namque es, sacra Virgo María, et omni laude digníssima: * Quia ex te ortus est sol justítiæ, Christus Deus noster. ℣. Ora pro pópulo, intérveni pro clero, intercéde pro devóto femíneo sexu: séntiant omnes tuum juvámen, quicúmque célebrant tuam sanctam Festivitátem. - Quia.

Lectio viii

Unde Bernárdus ait: Dum perforátur láncea ille tuus Jesus, ómnium quidem, sed speciáliter tuam ipsíus ánimam mundam gládius pertransívit, quia jam ille exspiráverat, unde te plus quam Mártyrem prædicámus. Et Hierónymus: Quia mente passa est, plus quam Martyr fuit. Unde, quia ipsa veráciter diligébat ex afféctu íntimo, veheménter compatiebátur. Alii vero, qui corde non diligébant, exsultábant. Et ídeo ádditur: Ut reveléntur ex multis córdibus cogitatiónes. Ut est hic consecútum, quia hoc consecútum est ad passiónem Christi, quia vidélicet Judæórum carnálium et hypocritárum fuit cordis iníquitas reveláta.

℟. Beátam me dicent omnes generatiónes: * Quia fecit mihi Dóminus magna qui potens est, et sanctum nomen ejus. ℣. Et misericórdia ejus a progénie in progénies timéntibus eum. - Quia fecit. - Glória Patri. - Quia fecit.

Lectio ix

Nota spirituáliter, quod ex consideratióne passiónis Christi debet triplex gládius spirituális ánimam pertransíre. Primus gládius est discretiónis rectæ fídei: Et gládius spíritus, quod est verbum Dei. Secúndus gládius est discretiónis sevéri judícii: De

ore ejus gládius utráque parte acútus exíbat. Tértius est gládius divisiónis humáni desidérii: Non veni pacem míttere, sed gládium. Pertránsit autem ánimam primus gládius per veram fidem: Vivus est enim sermo Dei, et éfficax, et penetrabílior omni gládio ancípiti, et pertíngens usque ad divisiónem ánimæ, ac spíritus, compágum quoque ac medullárum. Secúndus per rigórem pœniténtiæ: Gládii ancípites in mánibus eórum. Tértius per ardórem benevoléntiæ: En léctulum Salomónis. Et post: Omnes tenéntes gládios. Te Deum.

In II Vesp. de Oct. Com. Ss. Marci et Marcelliani Mm.

—*—

Die 18 Junii

Soccorro:

De III die infra Oct.

B. MARIÆ VIRGINIS DE SUCCURSU

Semiduplex

Pro Com. Ss. Marci et Marcelliani: Ant. Istórum, ℣. Lætámini, Oratio Præsta, quæsumus.

In II Nocturno

Sermo sancti Bernárdi Abbátis

Sermo in c. 12 Apoc. ante medium

Lectio iv

Novum fecit Dóminus super terram, ut múlier circúmdaret virum, nec álium quam Christum, de quo dícitur: Ecce vir, Oriens nomen ejus. Novum quoque fecit in cælo, ut múlier sole apparéret amícta. Dénique et coronávit eum, et vicíssim ab eo méruit coronári. Egredímini, fíliæ Sion, et vidéte regem Salomónem in diadémate quo coronávit eum mater sua. Verum hoc álias. Interim sane ingredímini magis, et vidéte Regínam in diadémate quo coronávit eam fílius suus. In cápite, inquit, ejus coróna stellárum duódecim.

℟. Sicut cedrus exaltáta sum in Líbano, et sicut cypréssus in monte Sion: quasi

myrrha elécta, * Dedi suavitátem odóris. ℣. Et sicut cinnamómum et bálsamum aromatízans. - Dedi.

Lectio v

Dignum plane stellis coronári caput, quod et ipsis longe clárius micans, ornet eas pótius quam ornétur ab eis. Quidni corónent sídera, quam sol vestit? Sicut dies verni circúmdabant eam flores rosárum et lília convállium. Nimírum læva sponsi sub cápite ejus, et jam déxtera illíus amplexátur eam. Quis illas æstimet gemmas? Quis stellas nóminet, quibus Maríæ régium diadéma compáctum est?

℟. Quæ est ista quæ procéssit sicut sol, et formósa tamquam Jerúsalem? * Vidérunt eam fíliæ Sion, et beátam dixérunt, et regínæ laudavérunt eam. ℣. Et sicut dies verni circúmdabant eam flores rosárum, et lília convállium. - Vidérunt.

Lectio vi

Quid ergo sidéreum micat in generatióne Maríæ? Plane quod ex régibus orta, quod ex sémine Abrahæ, quod generósa ex stirpe David. Si id parum vidétur, adde quod generatióni illi ob singuláre privilégium sanctitátis divínitus nóscitur esse concéssa, quod longe ante eísdem pátribus cælitus repromíssa, quod mysticis præfiguráta miráculis, quod oráculis prænuntiáta prophéticis. Hanc enim sacerdotális virga, dum sine radíce flóruit: hanc Gedeónis vellus, dum in médio siccæ áreæ máduit: hanc in Ezechiélis visióne Orientális porta, quæ nulli umquam pátuit, præsignábat.

℟. Ornátam monílibus fíliam Jerúsalem Dóminus concupívit: * Et vidéntes eam fíliæ Sion, beatíssimam prædicavérunt, dicéntes: * Unguéntum effúsum nomen tuum. ℣. Astitit regína a dextris tuis in vestítu deauráto, circúmdata varietáte. - Et vidéntes. - Glória Patri. - Unguéntum.

In III Nocturno

Léctio sancti Evangélii secúndum Joánnem

Lectio vii C. 19, 25-27

In illo témpore: Stabant juxta crucem Jesu Mater ejus, et soror Matris ejus María Cléophæ, et María Magdaléne. Et réliqua.

Homilía sancti Bernárdi Abbátis Tract. de Pass. Dom. cap. 10

Múlier, inquit, ecce fílius tuus. Et discípulo: Ecce Mater tua. Verbum bonum et suáve, verbum mirábile, magnum cóntinens piæ caritátis affectum! Certe nos légimus, Dóminum Jesum, máxime cum ad ætátem provéctam accésserat, caríssimæ Matri suæ familiárius adhæsísse, et cum ipsa frequéntius convivátum esse, et præ céteris mítius allocútum. Sed, quantus in ipso fúerat circa Matrem caritátis affectus, jam corporáliter recessúro, brévibus intimávit verbis. Et ut crucis suæ táceam passiónem, quanta circa beátam Matrem compassióne mútua credis afféctum fuísse cor ejus mitíssimum, quod tam válido dolóris sui gládio transverberátum perfécte sciébat?

℟. **Felix namque es, sacra Virgo María, et omni laude digníssima: * Quia ex te ortus** est sol justítiæ, **Christus Deus noster.** ℣. **Ora pro pópulo, intérveni pro clero, intercéde pro devóto femíneo sexu: séntiant omnes tuum juvámen, quicúmque célebrant tuam sanctam Festivitátem. - Quia.**

Lectio viii

Adáuxit vúlnerum passiónem matérna compássio, quam contritíssimo corde, mánibus complósis, óculis lacrimárum torrénte fluéntibus, vultu contrácto, voce quérula, et totis víribus cordis destitútam, viríliter eam vidit sibi astáre pendénti. Quóties ipsam ad illa immítia verecúndos putas óculos elevásse? Si tamen eos aliquándo inde defléxit, vel si præ nímio fluxu lacrimárum pótuit intuéri? Quóties ipsam propter vere-

cúndiam virginálem páriter, et immensitátem dolóris stantem, ut æstimo, cápite coopérto ingemuísse putas, lugéndo Fílium, et dicéndo: Fili mi Jesu, Jesu fili mi! Quis mihi det, ut tecum et pro te móriar? Fili mi, dulcis Jesu! Quóties ipsam præ immensitáte dolóris credis potuísse defícere, a quo ipsam summe miror étiam mórtuam non fuísse. Moriebátur vivens, vivéndo ferens dolórem morte crudeliórem. Sed ne moriéndo defíceret, a Fílio pro ipsa mortalitáte confortáta est. Confortáta est intrínsecus, extérius vero et verbis et factis pie consoláta. Quómodo stabat juxta crucem Jesu Mater ejus? Vere juxta crucem stabat, quia crucem Fílii præ céteris Mater majóre cum dolóre ferébat. Stabant et áliæ, sed próxime hæc.

℟. **Beátam me dicent omnes generatiónes: * Quia fecit mihi Dóminus magna qui potens est, et sanctum nomen ejus.** ℣. **Et misericórdia ejus a progénie in progénies timéntibus eum. - Quia fecit. - Glória. - Quia fecit.**

IX Lectio de Ss. Marco et Marcelliano Mm. et fit eorum Commemoratio in Laudibus: Ant. **Vestri capílli,** ℣. **Exsultábunt.**

—✳—

Die 20 Junii

Soccorro:

De V die infra Oct. B. MARIÆ VIRGINIS DE SUCCURSU

Semiduplex

Ant. **Sancta María,** ℣. **Dignáre,** Oratio **Omnípotens.**

Deinde Com. S. Silverii Papæ et Martyris: Ant. **Iste sanctus,** ℣. **Glória,** Oratio **Infirmitátem.**

In II Noct. Lectiones **Sermo sancti Joánnis Chrysóstomi: Dei Fílius non dívitem,** ut in Communi Festorum B. M. V.

In III Nocturno

Léctio sancti Evangélii secúndum Joánnem

Lectio vii C. 19, 25-27

In illo témpore: Stabant juxta crucem Jesu Mater ejus, et so-

ror Matris ejus María Cléophæ et María Magdaléne. Et réliqua.

Homilía sancti Joánnis Chrysóstomi

Homilia 84 in Joannem

Imbecíllior sexus tunc fórtior appáruit, ita ómnia reformávit. Ipse matrem comméndans, inquit: Ecce fílius tuus. O honórem quem discípulo tribuit! Cum enim jam obíret, matris curam discípulo relíquit. Nam cum par esset útpote matrem dolére et protectiónem quærere, mérito dilécto comméndat: cui étiam inquit: Ecce mater tua. Hoc dixit, ut dilectióne devinciréntur. Quo cógnito, discípulus eam secum addúxit.

℟. **Felix namque es, sacra Virgo María, et omni laude digníssima: * Quia ex te ortus est sol justítiæ, Christus Deus noster.** ℣. **Ora pro pópulo, intérveni pro clero, intercéde pro devóto femíneo sexu: séntiant omnes tuum juvámen, quicúmque célebrant tuam sanctam Festivitátem. - Quia.**

Lectio viii

Sed cur non álius cujúspiam mulíeris méminit, cum adéssent? Admonens quiddam ámplius mátribus tribuéndum. Ut enim cum spirituália impédiunt paréntes, nec cognoscéndi quidem sunt: ita cum nihil impédiunt, mérito ómnia his sunt tribuénda, et ómnibus præferéndi: quia genuérunt, quia educárunt, quia innúmeras pro ipsis moléstias subiérunt. Ita Marciónis reprímitur impudéntia. Nam si non esset secúndum carnem natus, neque matrem habuísset quam ob rem eam solam tantópere curáret?

℟. **Beátam me dicent omnes generatiónes: * Quia fecit mihi Dóminus magna qui potens est, et sanctum nomen ejus.** ℣. **Et misericórdia ejus a progénie in progénies timéntibus eum. - Quia fecit. - Glória. - Quia fecit.**

IX Lectio de S. Silverio et fit ejus Com. in Laud.: Ant. **Qui odit,** ℣. **Justus.**

—✳—

Die 23 Junii

Soccorro:

In Octava
B. MARIÆ VIRGINIS DE SUCCURSU

Duplex majus

In I Vesp. fit Com. S. Paulini Ep. et Conf.: Ant. **Amávit,** ℣. **Justum,**·Oratio **Deus, qui ómnia.**

In II Nocturno

Sermo sancti Bonaventúræ Epíscopi

Sermo 1 de B. M. V.

Lectio iv

Magnus Dóminus noster, et magna virtus ejus; et sapiéntiæ ejus non est número. Unde hoc probátur? Qui númerat multitúdinem stellárum, et ómnibus eis nómina vocat. Dómina autem fuit cælum firmaméntum unifórmiter semper motum per patiéntiæ firmitátem: et cælum stellíferum per ómnium donórum, et gratiárum Dei copiositátem. Sicut enim cælum non est ullo modo porósum, sed sólidum: sic Dei Mater pia nullo modo fuit porósa, vel vácua, sed sólida; quia omni grátia fuit plena. Cujus admirábilis patiéntia, et solíditas non porósa, tunc máxime cláruit, quando prædúlcem Fílium suum mori conspéxit.

℟. **Sicut cedrus exaltáta sum in Líbano, et sicut cypréssus in monte Sion: quasi myrrha elécta, * Dedi suavitátem odóris.** ℣. **Et sicut cinnamómum et bálsamum aromatízans. - Dedi.**

Lectio v

Nam licet in ea aquæ inferióres, idest vires sensitívæ, vel sensíbiles fortíssime fúerint concússæ ventis in sui Fílii passióne; superióres tamen a sua non fuérunt pace permótæ. Et licet sentína navis, id est pars sensíbilis, repléta tunc fúerit aquis maris; pars tamen supérior navis semper ventis prósperis navigávit; unde ipsa est illa petra, super quam domus fundáta, et firmáta, quam etsi flúmina, ventíque percútiant; tamen inter flúmina illa immóbilis persevé-

rat; unde ei pótuit dícere Christus illud Matthæi: Super hanc petram ædificábo Ecclésiam meam: quia in passióne Domínica, tota deficiénte Ecclésia primitivórum in fide, sola dómina nostra in fide permánsit, ut petra.

℟. Quæ est ista quæ procéssit sicut sol, et formósa tamquam Jerúsalem? * Vidérunt eam fíliæ Sion, et beátam dixérunt, et regínæ laudavérunt eam. ℣. Et sicut dies verni circúmdabant eam flores rosárum, et lília convállium. - Vidérunt.

Lectio vi

Fuit ergo símilis adamánti, cujus tanta est fortitúdo, ut sánguine solo rumpátur hircíno. Quia María régia virgo numquam nisi Christi sánguine recénter effúso pótuit esse turbáta: quia nulla fuit álio témpore perturbáta. Si enim juxta Philosophórum senténtiam non cadit perturbátio in sapiéntem virum; quanto magis Dómina ómnium sapientíssima numquam perturbatiónem mentis est passa.

℟. Ornátam monílibus fíliam Jerúsalem Dóminus concupívit: * Et vidéntes eam fíliæ Sion, beatíssimam prædicavérunt, dicéntes: * Unguéntum effúsum nomen tuum. ℣. Astitit regína a dextris tuis in vestítu deauráto, circúmdata varietáte. - Et. - Glória Patri. - Unguéntum.

In III Nocturno

Léctio sancti Evangélii secúndum Joánnem

Lectio vii C. 19, 25-27

In illo témpore: Stabant juxta crucem Jesu Mater ejus, et soror Matris ejus María Cléophæ et María Magdaléne. Et réliqua.

Homilía sancti Ambrósii Epíscopi

Epistola 82 ad Vercell. Eccles. in finem

María mater Dómini ante crucem Fílii stabat. Nullus me hoc dócuit, nisi sanctus Joánnes Evangelísta. Mundum álii concússum in passióne Dómini conscripsérunt, cælum ténebris obdú-

ctum, refugísse solem, in Paradísum latrónem, sed post piam confessiónem, recéptum. Joánnes dócuit quod álii non docuérunt, quemádmodum in cruce pósitus Matrem appelláverit, pluris putans, quod victor suppliciórum pietátis offícia matri exhibébat, quam quod regnum cæléste donábat. Nam si religiósum est, quod latróni donátur vénia; multo uberióris pietátis est, quod a fílio mater tanto afféctu honorátur. Ecce, inquit, fílius tuus: Ecce mater tua.

℟. Felix namque es, sacra Virgo María, et omni laude digníssima: * Quia ex te ortus est sol justítiæ, Christus Deus noster. ℣. Ora pro pópulo, intérveni pro clero, intercéde pro devóto femíneo sexu: séntiant omnes tuum juvámen, quicúmque célebrant tuam sanctam Festivitátem. - Quia.

Lectio viii

Testabátur de Cruce Christus, et inter matrem atque discípulum dividébat pietátis offícia. Condébat Dóminus non solum públicum, sed étiam doméesticum testaméntum. Et hoc ejus testaméntum signábat Joánnes, dignus tanto testatóre testis. Bonum testaméntum non pecúniæ, sed vitæ ætérnæ; quod non atraménto scriptum est, sed spíritu Dei vivi, qui ait: Lingua mea cálamus scribæ velóciter scribéntis. Sed nec María minor, quam matrem Christi decébat. Fugiéntibus Apóstolis, ante crucem stabat, et piis spectábat óculis Fílii vúlnera quia exspectábat non pígnoris mortem, sed mundi salútem. Aut fortásse quia cognóverat per Fílii mortem mundi redemptiónem. Aula regális étiam sua morte putábat se áliquid público additúram múneri.

℟. Beátam me dicent omnes generatiónes: * Quia fecit mihi Dóminus magna qui potens est, et sanctum nomen ejus. ℣. Et misericórdia ejus a progénie in

progénies timéntibus eum. - Quia fecit. - Glória. - Quia fecit.

IX Lectio de Homilia Vigiliæ Nativ. S. Joannis Bapt. et fit ejus Com. in Laudibus per Ant. et ℣. de Feria curr., ut in Psalterio, et Orationem **Præsta, quæsumus,** ut proprio loco in Breviario.

—✳—

Die 4 Julii

In Diœcesi Tunquen.:

In Dedicatione Ecclesiæ Cathedralis

Duplex I classis cum Octava communi

Omnia ut in Comm. Dedic. Eccl. in Brev.

—✳—

Die 9 Julii

B. MARIÆ VIRGINIS DE CHIQUINQUIRA

Duplex majus

Manizales:

Patron. princip. Diœc.

Duplex I classis cum Octava communi

In I Vesperis

Omnia de Communi Festorum B. M. V., præter sequentia:

℣. **Ora pro nobis, sancta Dei Génitrix.**

℟. **Ut digni efficiámur promissiónibus Christi.**

Ad Magnif. Ant. **Gloriósæ Vírginis Maríæ solemnitátem recolámus, quæ et Genitrícis dignitátem obtínuit, et virginálem pudicítiam non amísit.**

Oratio

Bonórum ómnium largítor Deus, qui Genitrícis dilécti fílii tui speciósam imáginem mira apparitióne claréscere voluísti: concéde, quæsumus; ut ejúsdem beátæ Maríæ Vírginis intercessióne, ad cæléstem pátriam féliciter perducámur. Per eúmdem Dóminum nostrum.

In tota Ditione, excepta Diœcesi Manizales fit Com. præc.: Ant. **Elísabeth,** ℣. **Diffúsa,** Oratio **Clementíssime.**

In Diœcesi Tunquen.:

Deinde Commemoratio Oct. Dedicationis Ecclesiæ Cathedralis: Ant. **O quam metuéndus,** ℣. **Domum,** Oratio **Deus, qui nobis.**

Ad Matutinum

Invit. **Solemnitátem Vírginis Maríæ celebrémus: * Christum ejus**

filium adorémus Dóminum.

Ps. 94 **Veníte, exsultémus.**

In I Nocturno

De libro Apocalypsis beáti Joánnis Apóstoli

Lectio i Cap. 12, 1-4

Signum magnum appáruit in cælo, múlier amícta sole, et luna sub pédibus ejus, et in cápite ejus coróna stellárum duódecim: et in útero habens clamábat partúriens, et cruciabátur ut páriat. Et visum est áliud signum in cælo, et ecce draco magnus rufus habens cápita septem et córnua decem, et in capítibus ejus diadémata septem, et cauda ejus trahébat tértiam partem stellárum cæli, et misit eas in terram, et draco stetit ante mulíerem, quæ erat paritúra; ut cum peperísset, fílium ejus devoráret.

℟. **Sancta et immaculáta virgínitas, quibus te láudibus éfferam néscio: * Quia quem cæli cápere non póterant, tuo grémio contulísti.** ℣. **Benedícta tu in muliéribus, et benedíctus fructus ventris tui. - Quia.**

Lectio ii Cap. 12, 5-9

Et péperit fílium másculum, qui rectúrus erat omnes gentes in virga férrea, et raptus est fílius ejus ad Deum, et ad thronum ejus, et múlier fugit in solitúdinem, ubi habébat locum parátum a Deo, ut ibi pascant eam diébus mille ducéntis sexagínta. Et factum est prælium magnum in cælo, Míchael, et Angeli ejus præliabántur cum dracóne, et draco pugnábat et ángeli ejus, et non valuérunt, neque locus invéntus est eórum ámplius in cælo. Et projéctus est draco ille magnus, serpens antíquus, qui vocátur diábolus, et sátanas, qui sedúcit univérsum orbem, et projéctus est in terram, et ángeli ejus cum illo missi sunt.

℟. **Congratulámini mihi omnes, qui dilígitis Dóminum, quia cum essem párvula plácui Altíssimo: * Et**

de meis viscéribus génui Deum et hóminem. ℣. Beátam me dicent omnes generatiónes, quia ancíllam húmilem respéxit Deus. - Et de meis.

Lectio iii C. 12, 10-14

Et audívi vocem magnam in cælo dicéntem: Nunc facta est salus, et virtus, et regnum Dei nostri, et potéstas Christi ejus, quia projéctus est accusátor fratrum nostrórum, qui accusábat illos ante conspéctum Dei nostri die ac nocte. Et ipsi vicérunt eum propter sánguinem Agni et propter verbum testimónii sui, et non dilexérunt ánimas suas usque ad mortem. Proptérea lætámini, cæli, et qui habitátis in eis. Væ terræ, et mari, quia descéndit diábolus ad vos habens iram magnam, sciens quod módicum tempus habet. Et postquam vidit draco quod projéctus esset in terram, persecútus est mulíerem, quæ péperit másculum: et datæ sunt mulíeri alæ duæ áquilæ magnæ, ut voláret in desértum in locum suum.

℟. Beáta es, Virgo María, quæ Dóminum portásti, Creatórem mundi: * Genuísti qui te fecit, et in ætérnum pérmanes Virgo. ℣. Ave, María, grátia plena, Dóminus tecum. - Genuísti. - Glória Patri. - Genuísti.

In II Nocturno

Sermo sancti Joánnis Chrysóstomi

Apud Metaphrast.

Lectio iv

Magnum revéra miráculum, fratres dilectíssimi, fuit beáta semper Virgo María. Quid namque illa majus aut illústrius ullo umquam témpore invéntum est, seu aliquándo inveníri potest? Hæc sola cælum ac terram amplitúdine superávit. Quidnam illa sánctius? Non Prophétæ, non Apóstoli, non Mártyres, non Patriárchæ, non Angeli, non Throni, non Dominatiónes, non Séraphim, non Chérubim, non dénique áliquid quidpiam inter creátas

res visíbiles, aut invisíbiles, majus aut excelléntius inveníri potest. Eadem ancílla Dei est et mater: éadem Virgo et Génitrix.

℟. Sicut cedrus exaltáta sum in Líbano, et sicut cypréssus in monte Sion: quasi myrrha elécta, * Dedi suavitátem odóris. ℣. Et sicut cinnamómum et bálsamum aromatízans. - Dedi.

Lectio v

Ex legitimo Ordinarii Processu

Sæpíssime Deípara Virgo auxílium suum Christifidélibus osténdit, et ad rectam vitæ sémitam peccatóres revocávit, ita ut gratiárum mater sit salutáta. Ejus éfficax patrocínium América quoque expérta est. Ibi enim in pago quodam vulgo Chiquinquíra Archidiœcéseos Sanctæ Fídei Bogoténsis exstábat ædícula pene díruta, ubi beatíssimæ Maríæ Vírginis Imágo, quasi absque ulla veneratióne et obséquio pósita erat, quando sæculo décimo sexto labénte, et postrídie, ut fertur, diéi Natális Dómini, anni millésimi quingentésimi octogésimi sexti multis signis Dei Mater monstrávit velle illa in Imágine honorári et coli, cum et aliquándo fulgóribus irradiáta, et divérsis colóribus conspérsa fúerit visa imágo illa.

℟. Quæ est ista quæ procéssit sicut sol, et formósa tamquam Jerúsalem? * Vidérunt eam fíliæ Sion, et beátam dixérunt, et regínæ laudavérunt eam. ℣. Et sicut dies verni circúmdabant eam flores rosárum, et lília convállium. - Vidérunt.

Lectio vi

Ex his venerátio incépit quæ de die in diem semper augétur ob insígnia prodígia et mirácula. Namque sæpíssime in infirmitátibus sanitátem, in angústiis solátium, in tentatiónibus auxílium, in necessitátibus opem obtinuérunt ad eam confugiéntes, et cum annuéntibus Epíscopis transláta fúerit hæc beátæ Vírginis imágo, étiam pestis

cessásse fertur. Nihil mirum ígitur si piis largitiónibus ædicula pene desérta tractu témporis convérsa sit in Sanctuárium, ubi fidéles ad implorándum auxílium cónfluunt ex váriis dissitísque regiónibus. Quibus permótus Summus Ecclésiæ Póntifex Pius octávus, ad humíllimas preces tum Emeriténsis Epíscopi, tum Archiepíscopi Sanctæ Fídei Bogoténsis ejúsque suffraganeórum, anno millésimo octingentésimo vigésimo nono, permísit, ut in honórem sanctíssimæ Genitrícis peculiáris solémnitas celebrarétur, cum Offício et Missa própria, ipsámque beatíssimam Vírginem sub nuncupatióne Rosárii a Chiquinquira prædícti Archiepiscopátus Bogoténsis Patrónam æque principálem declarávit.

℟. Ornátam monílibus fíliam Jerúsalem Dóminus concupívit: * Et vidéntes eam fíliæ Sion, beatíssimam prædicavérunt, dicéntes: * Unguéntum effúsum nomen tuum. ℣. Astitit regína a dextris tuis in vestítu deauráto, circúmdata varietáte. - Et. - Glória Patri. - Unguéntum.

In III Nocturno

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthæum

Lectio vii Cap. 1, 1-16

Liber generatiónis Jesu Christi fílii David, fílii Abraham. Abraham génuit Isaac, Isaac autem génuit Jacob. Et réliqua.

Homilía sancti Bernárdi Abbátis Serm. in signum magnum

Veheménter quidem nobis, dilectíssimi, vir unus, et múlier una nocuére: sed grátias Deo, per unum nihilóminus virum et mulíerem unam, ómnia restaurántur, nec sine magno fænore gratiárum. Nec enim sicut delíctum ita et donum, sed excédit damni æstimatiónem benefícii magnitúdo. Sic nimírum prudentíssimus, et clementíssimus Artifex, quod quassátum fúerat non confrégit, sed utílius omníno refécit, ut vi-

délicet nobis novum formáret Adam ex véteri, Evam transfúnderet in Maríam. Et quidem sufficere póterat Christus, síquidem et nunc omnis sufficiéntia nostra ex eo est, sed nobis bonum non erat esse hóminem solum, cóngruum magis ut adésset nostræ reparatióni sexus utérque, quorum corruptióni neuter defuisset.

℟. Felix namque es, sacra Virgo María, et omni laude digníssima: * Quia ex te ortus est sol justítiæ, Christus Deus noster. ℣. Ora pro pópulo, intérveni pro clero, intercéde pro devóto femíneo sexu: séntiant omnes tuum juvámen, quicúmque célebrant tuam sanctam Festivitátem. - Quia.

Lectio viii

Fidélis plane et potens Mediátor Dei et hóminum, Homo Christus Jesus, sed divínam in eo reveréntur hómines majestátem. Absórpta vidétur in Deitátem humánitas, non quod mutáta sit substántia, sed afféctio deificáta. Non sola illi cantátur misericórdia, cantátur páriter et judícium: quia etsi dídicit ex iis quæ passus est compassiónem ut misericors fíeret, habet tamen et judiciáriam potestátem. Dénique Deus noster ignis consúmens est. Quid ni vereátur peccátor accédere, ne quemádmodum fluit cera a fácie ignis, sic péreat ipse a fácie Dei? Jam nec ipsa Múlier ítaque benedícta in muliéribus vidébitur otiósa: inveniétur quidem locus ejus in hac reconciliatióne. Opus est enim mediatóre ad Mediatórem istum, nec alter nobis utílior quam María. Crudélis nimírum Eva, per quam serpens antíquus pestíferum étiam ipsi viro virus infúndit: sed fidélis María, quæ salútis antídotum, et viris, et muliéribus propinávit: Illa enim minístra seductiónis, hæc propitiatiónis; illa suggéssit prævaricatiónem, hæc injécit redemptiónem.

℟. Beátam me dicent omnes generatiónes: *

Quia fecit mihi Dóminus magna qui potens est, et sanctum nomen ejus. ℣. Et misericórdia ejus a progénie in progénies timéntibus eum. - Quia. - Glória Patri. - Quia.

Lectio ix

Mérito ígitur de Dei aréola flos ille speciósus præ fíliis Paradísi eléctus est, super quem requiéscit spíritus Dómini, et cui te assimilábimus Mater pulchritúdinis? Vere paradísus Dei tu es, quia lignum vitæ mundo protulísti, de quo qui manducáverit vivet in ætérnum. Fons vitæ qui ex altíssimo pródiit, de médio ventris tui exilívit, atque inde in quátuor cápita sese dispérgens ad irrigándam fáciem aréntis mundi emanávit, lætíficans civitátem Dei. Omnis enim qui bíberit ex eo non sítiet in ætérnum, et erit plus quam Paradísus hic de cujus aqua si quis bíberit sítiet íterum. O quanta mundo contulísti, quæ tam salúbris aquædúctus esse meruísti! O Lampas luculentíssima, quantos lætificásti, quanto splendóre Dei illustráta, desiderátum illud lumen quo invénta est drachma décima, sedéntibus in umbra mortis protulísti!

Te Deum laudámus.

Ad Laudes

et per Horas

Ant. 1 Solémnitas * gloriósæ Vírginis Maríæ ex sémine Abrahæ, ortæ de tribu Juda, clara ex stirpe David.

Psalmi de Dominica.

2 Solémnitas est hódie * sanctæ Maríæ Vírginis, cujus vita ínclyta cunctas illústrat ecclésias.

3 Regáli ex progénie * María exórta refúlget: cujus précibus nos adjuvári mente et spíritu devotíssime póscimus.

4 Corde et ánimo * Christo canámus glóriam in hac sacra solemnitáte præcélsæ Genitrícis Dei Maríæ.

5 Cum jucunditáte * solemnitátem beátæ Maríæ celebrémus, ut ipsa pro nobis intercédat ad Dóminum Jesum Christum.

Capit. Eccli. 24, 14

Ab inítio, et ante sæcula creáta sum, et usque ad futúrum sæculum non désinam, et in habitatióne sancta coram ipso ministrávi.

Hymnus

O gloriósa vírginum,
Sublímis inter sídera,
Qui te creávit, párvulum
Lacténte nutris úbere.

Quod Heva tristis ábstulit,
Tu reddis almo gérmine:
Intrent ut astra flébiles,
Cæli reclúdis cárdines.

Tu Regis alti jánua,
Et aula lucis fúlgida:
Vitam datam per Vírginem,
Gentes redémptæ, pláudite.

Jesu, tibi sit glória,
Qui natus es de Vírgine,
Cum Patre, et almo Spíritu,
In sempitérna sæcula. Amen.

℣. **Diffúsa est grátia in lábiis tuis.** ℟. **Proptérea benedíxit te Deus in ætérnum.**

Ad Bened. Ant. **Solemnitátem hodiérnam perpétuæ Vírginis Genitrícis Dei Maríæ solémniter celebrémus, qua celsitúdo throni procéssit, allelúja.**

Oratio

Bonórum ómnium largítor Deus, qui Genitrícis dilécti Fílii tui speciósam imáginem mira apparitióne claréscere voluísti: concéde, quæsumus; ut ejúsdem beátæ Maríæ Vírginis intercessióne, ad cæléstem pátriam felíciter perducámur. Per eúmdem Dóminum nostrum.

In Diœcesi Tunquen. fit Com. Octavæ Dedic. Ecclesiæ Cathedralis: Ant. **Zachæe,** ℣. **Hæc est,** Oratio **Deus, qui nobis.**

Ad Tertiam

Capit. **Ab inítio,** ut supra ad Laudes.

℟. br. **Spécie tua * Et pulchritúdine tua. - Spécie.** ℣. **Inténde, próspere procéde, et regna. - Et. - Glória Patri. - Spécie.**

℣. **Adjuvábit eam Deus vultu suo.** ℟. **Deus in médio ejus non commovébitur.**

Ad Sextam

Capit. Eccli. 24, 15-16

Et sic in Sion firmáta sum, et in civitáte sanctificáta simíliter requiévi, et in Jerúsalem potéstas mea. Et radicávi in pópulo honorificáto, et in parte Dei mei heréditas illíus, et in plenitúdine sanctórum deténtio mea.

℟. br. **Adjuvábit eam * Deus vultu suo. - Adjuvábit.** ℣. **Deus in médio ejus, non commovébitur. - Deus. - Glória. - Adjuvábit.**

℣. **Elégit eam Deus, et præelégit eam.**

℟. **In tabernáculo suo habitáre facit eam.**

Ad Nonam

Capit. Eccli. 24, 19-20

In platéis sicut cinnamómum et bálsamum aromatízans odórem dedi: quasi myrrha elécta dedi suavitátem odóris.

℟. br. **Elégit eam Deus, * Et præelégit eam. - Elégit.** ℣. **In tabernáculo suo habitáre facit eam. - Et. - Glória Patri. - Elégit.**

℣. **Diffúsa est grátia in lábiis tuis.** ℟. **Proptérea benedíxit te Deus in ætérnum.**

In II Vesperis

Omnia de Comm. Festorum B. M. V., præter sequentia:

℣. **Ora pro nobis, sancta Dei Génitrix.**

℟. **Ut digni efficiámur promissiónibus Christi.**

Ad Magnif. Ant. **Beáta Mater, et intácta Virgo, gloriósa Regína mundi, séntiant omnes tuum juvámen quicúmque célebrant tuam sanctam solemnitátem.**

Et fit Com. seq.: Ant. **Istórum,** ℣. **Lætámini,** Oratio **Præsta, quæsumus.**

—*—

Die 11 Julii

In Diœcesi Tunquen.:

In Octava Dedic. Eccles. Cathedr.

Duplex majus

Antiphonæ et Psalmi ad omnes Horas et Versus Nocturnorum de occurrenti hebdomadæ die, ut in Psalterio, Lectiones I Nocturni de Scriptura occurrenti cum suis Re-

sponsoriis de Tempore, reliqua de Communi Dedicat. Eccles. in die Festo et in die Octava.

In I Vesp. fit Com. præc.: Ant. **Gaudent,** ℣. **Exsultábunt,** Oratio **Præsta.**

Deinde Com. S. Pii I Papæ et Mart.: Ant. **Iste sanctus,** ℣. **Glória,** Oratio **Infirmitátem.**

IX Lectio S. Pii, ut in Breviario, et fit ejus Commemoratio in Laudibus: Ant. **Qui odit,** ℣. **Justus.**

—✳—

Eadem die 11 Julii

Manizales:

De III die infra Oct. B. MARIÆ VIRGINIS DE CHIQUINQUIRA

Semiduplex

Ant. et Psalmi ad omnes Horas et Versus Nocturnorum de occurrenti hebdomadæ die, ut in Psalterio, reliqua ut in Festo præter Lectiones, quæ in I Nocturno dicuntur de Scriptura occurrenti cum suis Responsoriis de Tempore, in II et III assignantur propriæ, ut infra.

Ant. **Gloriósæ Vírginis,** ℣. **Ora pro nobis,** Oratio **Bonórum.**

Deinde Com. S. Pii I Papæ et Mart.: Ant. **Iste sanctus,** ℣. **Glória et honóre,** Oratio **Infirmitátem.**

In II Noct. Lectiones **Sermo sancti Augustíni Epíscopi: Exsúltat María,** ut supra die 17 Junii, **48*,** de II die infra Oct. B. M. V. de Succursu cum ℟℟. ut ibidem.

In III Nocturno

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthæum

Lectio vii Cap. 1, 1-16

Liber generatiónis Jesu Christi fílii David, fílii Abraham. Abraham génuit Isaac, Isaac autem génuit Jacob. Et réliqua.

Homilía sancti Hilárii Epíscopi

Comm. in Matth. c. 1

Non refert quis in oríginis número atque órdine collocétur, dúmmodo universórum família cœpta esse intelligátur ab uno. Itaque cum ejúsdem tribus sit Joseph et María, dum proféctus esse ex Abrahæ génere Joseph osténditur, pro-

fécta quoque docétur et María. Hæc enim in lege rátio serváta est, ut si mórtuus sine fíliis famíliæ princeps esset, defúncti uxórem postérior frater ejúsdem cognatiónis accíperet, susceptósque fílios in famíliam ejus, qui mórtuus esset, reférret: manerétque ita in primogénitis successiónis ordo, cum patris eórum, qui post se nati essent, aut nómine haberéntur, aut género.

℞. Felix namque es, sacra Virgo María, et omni laude digníssima:* Quia ex te ortus est sol justítiæ, Christus Deus noster. ℣. Ora pro pópulo, intérveni pro clero, intercéde pro devóto femíneo sexu: séntiant omnes tuum juvámen, quicúmque célebrant tuam sanctam Festivitátem. - Quia.

Lectio viii

Sequens illud est, ut quia díximus secúndum rerum fidem generatiónis istíus órdinem nec número sibi nec successióne constáre, hujus quoque rei rátio afferátur. Non enim levis causa est, ut áliud in narratióne sit, áliud fúerit in gestis: et áliud referátur in summa, áliud vero teneátur in número. Namque ab Abraham usque ad David quatuórdecim generatiónes numerátæ sunt: et a David usque ad transmigratiónem Babylónis in quibúsdam libris decem et septem deprehendúntur. Sed in hoc non mendácii, aut negligéntiæ vítium est. Tres enim generatiónes prætéritæ sunt. Nam Joras génuit Ochozíam, Ochozías vero génuit Joam, Joas deínde Amasíam, Amasías autem Ozíam: et in Matthæo Joras Ozíam genuísse scríbitur, cum quartus ab eo sit. Hoc ita, quia ex Gentíli fémina Joras Ochozíam génuit, ex Achab scílicet, qui Jézabel hábuit uxórem.

℞. Beátam me dicent omnes generatiónes: * Quia fecit mihi Dóminus magna qui potens est, et sanctum nomen ejus. ℣. Et misericórdia ejus a progénie in

progénies timéntibus eum. - Quia. - Glória Patri. - Quia.

IX Lectio S. Pii, ut in Breviario, et fit ejus Com. in Laud.: Ant. **Qui odit,** ℣. **Justus.**

¶ Sequentibus diebus de Octava fit Com. juxta Rubricas usque ad Laudes inclusive diei 15 Julii, deinde de Oct. nil amplius fit.

—✳—

Die 20 Julii

S. LIBERATÆ

Virg. et Mart.

Patron. minus princip.

Duplex majus

Oratio

Beátæ Liberátæ Vírginis et Mártyris tuæ, quæsumus Dómine, précibus et méritis adjuvémur: ut, quæ pro tui nóminis confessióne et pudicítiæ defensióne in cruce pepéndit, ab inimicórum insídiis sua nos protectióne deféndat. Per Dóminum.

Et fit Com. S. Vincentii a Paulo Conf.: Ant. **Hic vir,** ℣. **Justum,** Oratio **Deus, qui ad evangelizándum.**

Deinde Com. S. Hieronymi Æmiliani Conf.: Ant. **Similábo,** ℣. **Amávit,** Oratio **Deus, misericordiárum.**

Postea Com. S. Margaritæ Virg. et Mart.: Ant. **Símile est,** ℣. **Diffúsa,** Oratio **Indulgéntiam.**

In II Nocturno

Lectio iv

Lúcius Catéllius Sevérus, præses Gallæciæ et Lusitániæ, et ejus terræ régulus, idolórum cultor, ex Cálsia cónjuge, eídem falsæ religióni dédita, uno partu (ut multárum in Hispánia ecclesiárum fert tradítio) novem édidit fílias. Quæ cum existimáret, hoc posse contra eam áliquam violáti tori et intemperántis vitæ excitáre suspiciónem, obstetríci sevére indíxit, ut occúlte illam tot filiárum turbam in flumen projíceret. Illa vero consílium detestáta, in próximum vicum progréssa, novem puéllas tótidem nutrícibus aléndas trádidit, a quibus sacro fonte lustrátæ, Genivéra, Wilgefórtis seu Liberáta, Victória, Eumé-

lia, Germána, Gemma, Mártia, Basilíssa, ac Quitéria nuncupátæ, totas se Deo concéptæ virginitátis voto consecrárunt.

℟. Propter veritátem, et mansuetúdinem, et justítiam: * Et dedúcet te mirabíliter déxtera tua. ℣. Spécie tua et pulchritúdine tua inténde, próspere procéde, et regna. - Et.

Lectio v

Intérea dira persecútio christiánum nomen urgébat, et ad Balchágiam Catéllii sedem progréssa (quæ hódie dícitur Bayóna Tudénsis) cultóres idolórum ímpulit, ut vírgines sacras comprehénderent et Catéllio patri sísterent puniéndas. Qui de génere et religióne sciscitátus, christiánas et fílias suas esse cognóvit. Cum autem ómnia illis régia liberalitáte promítteret omniáque supplícia júdicis severitáte minarétur, ut eas a stúdio christiánæ religiónis abdúceret, et matérnæ preces et lácrimæ his ómnibus accéderent, nihilóminus sacræ vírgines omnes in ea, quam suscéperant, fide constántes permansérunt.

℟. Dilexísti justítiam, et odísti iniquitátem: * Proptérea unxit te Deus, Deus tuus, óleo lætítiæ. ℣. Propter veritátem, et mansuetúdinem, et justítiam. - Proptérea.

Lectio vi

Cum autem pater nil profíceret et in filiárum cædem raperétur furóre, illæ, tamétsi martyrii cúpidæ, patris tamen grave peccátum vitáre cupiéntes, ab ejus statuérunt sese potestáte subdúcere. Quod fecére non simul omnes, sed seórsum áliæ álio dilápsæ, ubi váriis locis martyrium subiérunt. Wilgefórtis vero seu Liberáta cum áliis christiánis in erémum secéssit, ubi aspérrime vivens silvéstri cibo semel ad vésperam quotídie reficiebátur; donec comprehénsa íterum ab ímpiis idolórum cultóribus ad sacrílegum idolórum cultum et impudicítiam fuit instigáta. Illa

vero, nec sorórum nece percúlsa nec minis, aut cruciátibus detérrita, tortóribus se læta óbtulit. Et post vária tormentórum género, in Lusitánia ad Castraleúca, pro fide et pudicítia decértans, in cruce méruit martyrii palmam adipísci, circa annum Dómini centésimum trigésimum nonum. Cujus corpus in amplíssimo templo Seguntíno honorífice cónditum summa cólitur religióne et populórum frequéntia.

℟. **Afferéntur Regi vírgines post eam, próximæ ejus * Afferéntur tibi in lætítia et exsultatióne.** ℣. **Spécie tua et pulchritúdine tua inténde, próspere procéde, et regna. - Afferéntur tibi. - Glória Patri. - Afferéntur tibi.**

In III Nocturno

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthæum

Lectio vii C. 13, 44-52

In illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis parábolam hanc: Símile est regnum cælórum thesáuro abscóndito in agro. Et réliqua.

Homilía sancti Joánnis Chrysóstomi

Hom. 48 super Matth. cap. 13

Sicut granum sinápis et ferméntum, sic duæ parábolæ istæ thesáuri atque margarítæ parum inter se dífferunt. Illud enim ambábus his denotátur, quóniam opórteat prædicatiónem evangélii ómnibus céteris antepónere. Et illis quidem (ferménti dico atque sinápis) magna evangélii virtus ostendebátur, quæ omníno totum orbem terrárum erat superatúra: hæ vero posterióres summi esse prétii signíficant. Sicut enim sinápis exténditur, sic quasi margaríta pretiosíssimum est, ac infinítas éxhibet commoditátes ut thesáurus.

℟. **Hæc est Virgo sápiens, quam Dóminus vigilántem invénit, quæ accéptis lampádibus sumpsit secum óleum: * Et veniénte Dómino, introívit cum eo ad núptias.** ℣. **Mé-**

dia nocte clamor factus est: Ecce sponsus venit, exíte óbviam ei. - Et veniénte.

Lectio viii

Nec illud solum dícimus, quia cétera abjiciénda sunt ómnia, et sola prædicátio evangélii retinénda; verum étiam magno id esse cum gáudio faciéndum. Sane qui renuntiatiónem bonórum facit, is nullam jactúram, sed quæstuosíssimam facit mercatúram. Perpéndis quómodo in mundo ábdita atque celáta prædicátio est, et in prædicatióne summa felícitas recóndita? Nisi ergo cunctas res tuas venúmdabis, non emes: nisi curióse quæras, non invénies. Duo hæc quippe nobis ad salútem necessária sunt, sæculárium rerum contémptus, et jugis vigilántia.

℟. Média nocte clamor factus est: * Ecce sponsus venit, exíte óbviam ei. ℣. Prudéntes Vírgines, aptáte vestras lámpades. - Ecce. - Glória Patri. - Ecce.

Pro S. Hieronymo Æmiliano:

Lectio ix

Hierónymus, e gente patrícia Æmiliána Venétiis ortus, a prima adolescéntia milítiæ addíctus, difficíllimis reipúblicæ tempóribus Castronóvo ad Quarum in móntibus Tarvisínis præfícitur. Arce ab hóstibus capta, ipse in tetérrimum cárcerem detrúditur, a quo beatíssimæ Vírginis ope liberátur. Venétiis cœpit pietátis stúdia impénsius cólere, puerórum præsértim misértus, qui paréntibus orbáti, per urbem vagabántur, quos in ædes a se condúctas recépit de suo aléndos, et christiánis móribus imbuéndos. Per eos dies Venétias appúlerant beátus Cajetánus et Petrus Caráfa, póstmodum Paulus quartus, qui Hierónymi spíritu probáto, illum in Incurabílium hospitále adduxérunt, in quo órphanos simul educáret et ægrótis inservíret. Mox eorúmdem hortátu, in próximam con-

tinéntem proféctus, Bríxiæ primum, deínde Bérgomi, atque Novocómi orphanatróphia aliáque pia institúta eréxit. Somáschæ demum subsístens, in húmili pago agri Bergoménsis, sedem constítuit novæ congregatiónis, cui proptérea a Somáscha nomen factum, quam sanctus Pius quintus approbávit. Tandem contagióne, dum ægrotántibus inservíret, contrácto morbo, annos natus sex et quinquagínta, pro frátribus ánimam pósuit, anno millésimo quingentésimo trigésimo séptimo. Te Deum.

In Laudibus fit Com. S. Hieronymi Æmiliani: Ant. **Euge,** ℣. **Justum.**

Deinde Com. S. Margaritæ: Ant. **Veni, sponsa Christi,** ℣. **Spécie tua,** Oratio **Indulgéntiam.**

In II Vesp. pro Com. S. Praxedis Virginis: (Ant. **Símile est,** ex Laud., ℣. **Spécie tua).**

Deinde Com. S. Hieronymi: Ant. **Hic vir,** ℣. **Justum.**

—✳—

Die 25 Julii

Tunquæ:

S. JACOBI Ap.

Patroni princ. Diœc.

Duplex I classis cum Octava communi

Omnia ut in Breviario, omissa Commemoratione S. Christophori Martyris.

¶ Infra Octav. et in die Octava Antiphonæ et Psalmi ad omnes Horas et Versus Nocturnorum de occurrenti hebdomadæ die, ut in Psalterio; Oratio ut in Festo, reliqua de Comm. App. præter Lectiones, quæ in I Nocturno dicuntur de Scriptura occurrenti cum suis Responsoriis de Tempore, in II et III pro singulis diebus assignantur propriæ.

—✳—

Die 26 Julii

In Diœcesi S. Marthæ:

S. ANNÆ

Matris B. M. V.
Titul. Eccl. Cathedr. et Patronæ principalis Diœcesis

Duplex I classis cum Octava communi

Omnia ut in Brev.; I tamen Vesperæ di-

cuntur integræ de S. Anna cum Commem. præced. Festi S. Jacobi Ap.: Ant. **Estóte,** ℣. **Annuntiavérunt,** Oratio **Esto, Dómine.**

¶ Infra Octav. et in die Octava Antiphonæ et Psalmi ad omnes Horas et Versus Nocturnorum de occurr. hebdomadæ die, ut in Psalterio, Oratio ut in Festo; reliqua de Communi non Virg. præter Lectiones, quæ in I Nocturno dicuntur de Scriptura occurrenti cum suis Responsoriis de Tempore, in II et III pro singulis diebus assignantur propriæ.

—✳—

Die 27 Julii

Tunquæ:

De III die infra Oct. S. JACOBI Ap.

Semiduplex

In II Nocturno

Sermo sancti Joánnis Chrysóstomi

In Encom. Ss. duodecim App. apud Metaphrasten, initio

Lectio iv

Duódecim elécti sunt athlétæ et nullus eórum mansit non coronátus: una enim grátia erat ómnibus sócia certáminis, et cum eis concurrébat, et uniuscujúsque victóriam reddébat magis probátam. Sed o beátum et præclárum vestrum, o Apóstoli, cœtum, quod ómnia facti estis ómnibus, Dei grátia; non arúndine, sed sermóne greges hóminum períte capiéntes! Vos enim estis immóbiles colúmnæ rectæ fídei, petra Ecclésiæ, Regni sceptra, et hujus máximi gregis vígiles defensóres, morbi humanitátis gratuíti médici, et nostræ ad Deum pœniténtiæ susceptóres misericórdes.

℟. **Vidi conjúnctos viros, habéntes spléndidas vestes, et Angelus Dómini locútus est ad me, dicens: * Isti sunt viri sancti facti amíci Dei.** ℣. **Vidi Angelum Dei fortem, volántem per médium cælum, voce magna clamántem et dicéntem. - Isti.**

Lectio v

Cum enim essétis véluti quædam animátæ incúdes, dum verberarémini, eos qui

verberábant, fabricáti estis ad agnitiónem. Hinc Petrus Romam áccipit in disciplínam, Paulus illinc mundo annúntiat Evangélium, Andréas córrigit Græciæ sapiéntes, Simon bárbaros Deum docet, Thomas baptísmate deálbat Æthíopes, Jacóbi cáthedram honórat Judæa, Marci thronum, quæ est ad Nilum, compléctitur Alexandría, Lucas et Matthæus scribunt Evangélia, Joánnes, qui vel post finem adhuc tractat theologíam, tamquam vivus curat Ephesum; Bartholomæus érudit Lycáonas ad temperántiam; Philíppus fáciens mirácula servat Hierápolim.

℟. **Beáti estis, cum maledíxerint vobis hómines, et persecúti vos fúerint, et díxerint omne malum advérsum vos, mentiéntes, propter me: * Gaudéte et exsultáte, quóniam merces vestra copiósa est in cælis.** ℣. **Cum vos óderint hómines, et cum separáverint vos, et exprobráverint, et ejécerint nomen vestrum tamquam malum propter Fílium hóminis. - Gaudéte.**

Lectio vi

Non cessant omnes ómnibus ubíque benefácere. Púlverem immortálem reliquérunt in sepúlchris, nunc quidem pii cultóres, paulo post autem sedéntes mundi júdices. Cum huic appropinquásset claudus, revérsus est sanis et íntegris pédibus. Cum in illum incidísset paralyticus, jussus est ferre grabátum. Alius vocábat mórtuos, illi vero ei statim obtemperárunt. Altérius autem umbra sola fugábat morbos. Altérius invocatiónem exhorrébant dæmones, et eórum sudária distillábant medicínam: erant enim discípuli illíus, cujus fímbria furto surrépta, contáctu ejus, quæ sánguinis laborábat proflúvio, exsiccávit rubrum mare sánguinis.

℟. **Isti sunt triumphatóres et amíci Dei, qui contemnéntes jussa príncipum, meruérunt præmia ætérna:** *

Modo coronántur, et accípiunt palmam. ℣. Isti sunt, qui venérunt ex magna tribulatióne, et lavérunt stolas suas in sánguine Agni. - Modo. - Glória. - Modo.

In III Nocturno

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthæum

Lectio vii C. 20, 20-23

In illo témpore: Accéssit ad Jesum mater filiórum Zebedæi cum fíliis suis, adórans et petens áliquid ab eo. Et réliqua.

Homilía sancti Hilárii Epíscopi Can. 20

Non sine áliquo moménto rerum ita efféctum fuísse existimándum est, ut mater filiórum Zebedæi Dóminum deprecarétur. Numquid et fíliis peténdi familiáritas non erat? sed erat gestórum efféctibus prophetándum. Itaque in matre filiórum Zebedæi lex intellígitur, quæ confidéntia privilégii sui pro credéntibus ex se pópulis deprecátur: quæ quia supérius audíerat primos novíssimos et novíssimos primos futúros; deférri fíliis suis orat, ut in Dómini regno unus ad déxteram ejus sédeat, alter ad sinístram. Cui Dóminus respóndit, nescíre eam quid oret. Nihil quidem de glória Apostolórum ambigebátur, et judicatúros eos sermo supérior expósuit.

℟. Isti sunt, qui vivéntes in carne, plantavérunt Ecclésiam sánguine suo: * Cálicem Dómini bibérunt, et amíci Dei facti sunt. ℣. In omnem terram exívit sonus eórum, et in fines orbis terræ verba eórum. - Cálicem.

Lectio viii

Dénique in médio sermóne, an cálicem suum possent bíbere intérrogat. At illi, qui jam martyrii libertátem constantiámque retinébant, bibitúros se pollicéntur. Dóminus colláudans eórum fidem ait, martyrio quidem eos secum cómpati posse; sed lævæ ejus ac déxteræ assídere, áliis a Deo Patre fuísse dispósitum. Et quidem quantum arbitrámur, ita honor iste áliis est

reservátus, quod tamen nec Apóstoli ab eo erunt aliéni, qui in duódecim patriarchárum sede considéntes Israélem judicábunt. Céterum, ut rátio spirituális intelligéntiæ plena esset, pro duóbus Dóminum mater orávit. Duæ enim sunt vocatiónes ex Israel: una discipulórum Joánnis, áltera Apostolórum et pharisæórum. Ideo ígitur pro duóbus orávit, quia Evangélio Christi hæ vocatiónes géminæ credidérunt.

℟. Isti sunt viri sancti, quos elégit Dóminus in caritáte non ficta, et dedit illis glóriam sempitérnam: * Quorum doctrína fulget Ecclésia, ut sole luna. ℣. Sancti per fidem vicérunt regna, operáti sunt justítiam. - Quorum. - Glória Patri. - Quorum.

IX Lectio de S. Pantaleone Mart. et fit ejus Com. in Laudibus: Ant. Qui odit, ℣. Justus, Oratio Præsta... ut intercedénte.

Vesp. de seq. Com. præc. diei infra Oct.

—*—

Eadem die 27 Julii

Sanctæ-Marthæ:

De II die infra Octavam S. ANNÆ

Semiduplex

In II Nocturno

Sermo sancti Gregórii Nazianzéni In Laud. Gorgoniæ circa med.

Lectio iv

Beáta Anna pudicítiæ quidem laude ádeo præstitit, adeóque non modo omnes ætátis suæ mulíeres, sed étiam véteres, quæ eo virtútis génere floruísse dicúntur, antecélluit, ut, cum in duo hæc génera vita nostra omnis divísa sit, nimírum in matrimónium et cœlibátum (quorum álterum ut præstántius et divínius, ita majóris quoque labóris et perículi; álterum humílius quidem et abjéctius, céterum minóri perículo obnóxium); vitátis utriúsque status incómmodis, quidquid in utróque cómmodi erat, delégerit, in unúmque coégerit, altérius nempe sublimitátem, altérius securitátem: fue-

ritque citra supercílium pudíca, cœlibátus cómmoda matrimónio témperans, ac re ipsa osténdens, neutrum horum suápte natúra tale esse, ut nos prorsus vel Deo vel mundo astríngat, vel ab his pénitus nos séparet.

℟. Propter veritátem, et mansuetúdinem, et justítiam: * Et dedúcet te mirabíliter déxtera tua. ℣. Spécie tua et pulchritúdine tua inténde, próspere procéde, et regna. - Et.

Lectio v

Non enim quia carni conjúncta erat, idcírco a spíritu disjúncta est: nec quia pro cápite virum habébat, ídeo primárium caput ignorávit: sed mundo naturæque háctenus obsecúta, ut carnis legi, vel ei pótius qui hanc carni legem indíxit, satisfáceret, totam se póstea Deo consecrávit. Enímvero divínus Sálomon in Provérbiis, féminam domi manéntem, virúmque amántem laudat, quæ honéste in domo versátur, ac muliébria offícia viríli et strénuo ánimo exséquitur, sempérque ad fusum et colum manus obfírmat, ceteráque ómnia præstat, quæ ille de honésta et indústria matróna prædicávit. Ego vero si ab his rebus laudándæ Annæ arguménta péterem, simíliter fácerem, ac si ab umbra státuam laudárem, aut ab únguibus leónem, relíctis majóribus et excellentióribus.

℟. Dilexísti justítiam, et odísti iniquitátem: * Proptérea unxit te Deus, Deus tuus, óleo lætítiæ. ℣. Propter veritátem, et mansuetúdinem, et justítiam. - Proptérea.

Lectio vi

Quænam umquam dígnior fuit, quæ in públicum se inférret? quænam tamen rárius visa est, minúsque virórum óculis pátuit? quænam óculos æque frenávit? quænam risum ádeo irrísit, ádeo ut vel léviter subrisísse propémodum nímium ipsi viderétur? quænam áuribus suis jánuas magis impósuit? quænam rursus

eas divíno sermóni magis apértas hábuit? imo quænam mentem linguæ moderatrícem magis præfécit ad pronuntiándas Dei justificatiónes? quænam modum ordinémque lábiis suis magis constítuit? Unus illi rubor placébat, quem gignit pudor: unus candor, quem parit abstinéntia.

℟. Fallax grátia, et vana est pulchritúdo: * Múlier timens Deum, ipsa laudábitur. ℣. Date ei de fructu mánuum suárum, et laudent eam in portis ópera ejus. - Múlier. - Glória Patri. - Múlier.

In III Nocturno

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthæum

Lectio vii C. 13, 44-52

In illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis parábolam hanc: Símile est regnum cælórum thesáuro abscóndito in agro. Et réliqua.

De Homilía sancti Gregórii Papæ

Hom. 11 in Evang.

Rursum cæléste regnum negotiatóri hómini símile dícitur, qui bonas margarítas quærit, sed unam pretiósam invénit, quam vidélicet invéntam, ómnia vendens, emit: quia, qui cæléstis vitæ dulcédinem, in quantum possibílitas admíttit, perfécte cognóverit, ea, quæ in terrénis amáverat, libénter cuncta derelínquit; in comparatióne ejus viléscunt ómnia, déserit hábita, congregáta dispérgit: inardéscit in cæléstibus ánimus, nihil in terrénis libet: defórme conspícitur, quidquid de terrénæ rei placébat spécie, quia sola pretiósæ margarítæ cláritas fulget in mente.

℟. Os suum apéruit sapiéntiæ, et lex cleméntiæ in lingua ejus: considerávit sémitas domus suæ, * Et panem otiósa non comédit. ℣. Gustávit et vidit quia bona est negotiátio ejus: non exstinguétur in nocte lucérna ejus. - Et.

Lectio viii

Rursus símile esse regnum cælórum sagénæ in mare missæ

dícitur, ex omni génere píscium congregánti, quæ impléta ad littus edúcitur, et in vasis boni pisces eligúntur, mali autem projiciúntur foras. Sancta Ecclésia sagénæ comparátur, quia et piscatóribus est commíssa, et per eam quisque ad ætérnum regnum a præséntis sæculi flúctibus tráhitur, ne in ætérnæ mortis profúndo mergátur. Quæ ex omni génere píscium cóngregat: qui ad peccatórum véniam sapiéntes et fátuos, líberos et servos, dívites et páuperes, fortes et infírmos vocat.

℟. **Regnum mundi, et omnem ornátum sæculi contémpsi propter amórem Dómini mei Jesu Christi: * Quem vidi, quem amávi, in quem crédidi, quem diléxi.** ℣. **Eructávit cor meum verbum bonum: dico ego ópera mea Regi. - Quem. - Glória Patri. - Quem.**

IX Lectio de S. Pantaleone et fit ejus Com. in Laud.: Ant. **Qui odit.** ℣. **Justus,** Oratio **Præsta... ut intercedénte.**

Vesp. de seq. Com. præced. diei infra Octavam.

—✳—

Die 29 Julii

Sanctæ-Marthæ:

S. MARTHÆ Virginis Patron. princ. Diœces.

Duplex I classis cum Octava communi

Omnia ut in Comm. Virginum et in Proprio Sanctorum.

In I Noct. Lectiones **De virgínibus,** de eod. Comm. 1 loco.

Omittitur Com. ac ix Lectio Ss. Felicis II Papæ et Soc. Martyrum.

—✳—

Die 30 Julii

Tunquæ:

De VI die infra Oct. S. JACOBI

Semiduplex

Ant. **Tradent,** ℣. **In omnem,** Oratio **Esto, Dómine.**

Deinde Com. Ss. Abdon et Sennen Mm.: Ant. **Istórum,** ℣. **Lætámini,** Oratio **Deus, qui sanctis.**

In II Nocturno

Ex Tractátu sancti Augustíni Epíscopi super Psalmos

Lectio iv In Ps. 44

Pro pátribus tuis nati sunt tibi fílii. Genuérunt te Apóstoli: ipsi missi sunt, ipsi prædicavérunt, ipsi patres. Sed numquid nobíscum corporáliter semper esse potuérunt? Etsi unus ipsórum dixit: Cúpio dissólvi, et esse cum Christo: multo magis óptimum est; manére autem in carne necessárium propter vos: dixit hoc quidem; sed quámdiu hic manére pótuit? Numquid usque ad hoc tempus? numquid usque in pósterum? Ergo illórum abscéssu desérta est ecclésia? Absit. Pro pátribus tuis nati sunt tibi fílii. Quid est: Pro pátribus tuis nati sunt tibi fílii? Patres missi sunt Apóstoli: pro Apóstolis fílii? nati sunt tibi, constitúti sunt Epíscopi.

℟. Vidi conjúnctos viros, habéntes spléndidas vestes, et Angelus Dómini locútus est ad me, dicens: * Isti sunt viri sancti facti amíci Dei. ℣. Vidi Angelum Dei fortem, volántem per médium cælum, voce magna clamántem et dicéntem. - Isti.

Lectio v

Hódie enim Epíscopi qui sunt per totum mundum, unde nati sunt? Ipsa ecclésia patres illos appéllat: ipsa illos génuit, ipsa illa constítuit in sédibus patrum. Non ergo te putes desértam, quia non vides Petrum, quia non vides Paulum, quia non vides illos, per quos nata es. De prole tua tibi crevit patérnitas. Pro pátribus tuis nati sunt tibi fílii: constítues eos príncipes super omnem terram. Vide templum regis quam late diffúsum est, ut nóverint vírgines, quæ non adducúntur in templum regis, non se ad istas núptias pertinére.

℟. Beáti estis cum maledíxerint vobis hómines, et persecúti vos fúerint, et díxerint omne malum advér-

sum vos, mentiéntes, propter me: * Gaudéte et exsultáte, quóniam merces vestra copiósa est in cælis. ℣. Cum vos óderint hómines, et cum separáverint vos, et exprobráverint, et ejécerint nomen vestrum tamquam malum propter Fílium hóminis. - Gaudéte.

Lectio vi

Pro pátribus tuis nati sunt tibi fílii: constítues eos príncipes super omnem terram. Hæc est cathólica ecclésia: fílii ejus constitúti sunt príncipes super omnem terram: fílii ejus constitúti sunt pro pátribus. Agnóscant, qui præcísi sunt: véniunt ad unitátem: adducántur in templum regis. Templum suum Deus ubíque collocávit, fundaménta prophetárum et Apostolórum ubíque firmávit. Fílios génuit ecclésia: constítuit eos pro pátribus suis príncipes super omnem terram.

℟. Isti sunt triumphatóres, et amíci Dei, qui contemnéntes jussa príncipum, meruérunt præmia ætérna: * Modo coronántur et accípiunt palmam. ℣. Isti sunt, qui venérunt ex magna tribulatióne, et lavérunt stolas suas in sánguine Agni. - Modo. - Glória. - Modo.

In III Nocturno

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthæum

Lectio vii C. 20, 20-23

In illo témpore: Accéssit ad Jesum mater filiórum Zebedæi cum fíliis suis, adórans et petens áliquid ab eo. Et réliqua.

De Homilía sancti Joánnis Chrysóstomi

Homil. 66 in Matth.

Sedére autem a dextris et a sinístris non est meum dare, sed quibus parátum est a Patre meo. Quibus porro præparátum est? Illis vidélicet, qui fulgentíssimis opéribus evasúri sunt. Idcírco vero dixit: Non est meum dare, sed Patris mei: ne quis infírmum atque impoténtem ad hanc ipsum fore retributiónem opinétur. Sed quonam modo? Non est meum, inquit, sed quibus pa-

rátum est. Verum, ut clárius fiat quod dícimus; exémplo id ante óculos ponámus. Ad editórem ígitur múnerum atque certáminis, quo multi ac præclári athlétæ cónfluant, duos quosdam ipsi præcípua familiaritáte conjúnctos accessísse fingámus, qui amicítia príncipis freti postuláre áudeant, ut victóres ipsi præcónio declaráti coronéntur. Quibus ille respóndeat: Non est meum id dare, sed quibus labóre atque sudóre præparátum est.

℟. Isti sunt, qui vivéntes in carne, plantavérunt Ecclésiam sánguine suo: * Cálicem Dómini bibérunt, et amíci Dei facti sunt. ℣. In omnem terram exívit sonus eórum, et in fines orbis terræ verba eórum. - Cálicem.

Lectio viii

Num ígitur quasi non poténtem illum id fácere condemnábimus? Nequáquam, sed justítiam ejus admirábimur: et, quóniam non persónam, sed rem réspicit, laudábimus. Quemádmodum ígitur editiónis múnerum atque certáminis príncipem, non quia non potest, sed quia non vult luctatiónis tránsgredi leges et justítiæ órdinem conturbáre, sic útique Christum id dixísse affirmámus. Ita úndique illos compellébat in grátia Dei primum, deínde in labóribus própriis omnem salútem et glóriæ spem repónere. Ideo dixit: Quibus parátum est. Nam si álii præstantióres videbúntur, si excellentióra quam vos ópera factúri sunt, quómodo illis expúlsis locum eórum vos occupábitis? An quia mei discípuli estis, idcírco étiam si non digni primátu éritis, præmia tamen quoque consecutúros vos arbitrémini?

℟. Isti sunt viri sancti, quos elégit Dóminus in caritáte non ficta, et dedit illis glóriam sempitérnam: * Quorum doctrína fulget Ecclésia, ut sole luna. ℣. Sancti per fidem vicérunt regna, operáti sunt justítiam. - Quorum. - Glória Patri. - Quorum.

IX Lectio de Ss. Abdon et Sennen, et fit eorumdem Commem. in Laud.: Ant. **Vestri capílli,** ℣. **Exsultábunt.**

Vesp. de seq. Com. præced. diei infra Oct.

—✳—

Eadem die 30 Julii

Sanctæ-Marthæ:

De V die infra Oct.

S. ANNÆ

Semiduplex

In II Nocturno

De Sermóne sancti Augustíni Epíscopi

Serm. 45 de Div. c. 4

Lectio iv

Operátur viro suo bona, et non mala in omni témpore. In omni témpore operátur bonum et non malum: nec sibi, sed viro: ut, quæ vivit, jam sibi non vivat, sed ei, qui mórtuus est pro ómnibus, et resurréxit. Viro ergo operátur bonum, coram Deo operátur bonum: illi servit, illi devóta est: illum díligit, illi placére semper studet et desíderat. Non se ornat, nec propter óculos suos, nec propter óculos aliénos. Non est de sibi placéntibus, non est de sua quæréntibus; operátur enim viro suo. Qui autem sibi operántur, omnes sua quærunt, non quæ Jesu Christi.

℟. **Propter veritátem, et mansuetúdinem, et justítiam: * Et dedúcet te mirabíliter déxtera tua.** ℣. **Spécie tua et pulchritúdine tua inténde, próspere procéde, et regna. - Et.**

Lectio v

Invéniens lanam et linum, fecit útile mánibus suis. Laníficam et liníficam matrónam istam sanctus sermo descríbit. Quæritur autem a nobis, quid sit lana, quid sit linum. Lanam carnále áliquid puto, linum spiritále: interióra sunt enim línea vestiménta, lánea exterióra. Quidquid carne operámur, in promptu est: quidquid spíritu, in secréto. Operári enim carne, et non operári spíritu, quamvis bonum videátur, útile non est: operári autem spíritu, et non operári carne, pigrórum est. Invenis hóminem porrigéntem manum vel eleemósynam páuperi, nec ta-

men de Deo cogitántem, sed homínibus placére cupiéntem: lánea vestis vidéri potest; interiórem líneam non habet. Invenis álium dicéntem: Súfficit mihi in consciéntia Deum cólere, quid mihi opus est visibíliter miscéri christiánis? Líneam vult habére sine túnica lánea: non novit, neque comméndat tália ópera mulíeris.

℟. Dilexísti justítiam, et odísti iniquitátem: * Proptérea unxit te Deus, Deus tuus, óleo lætítiæ. ℣. Propter veritátem, et mansuetúdinem, et justítiam. - Proptérea.

Lectio vi

Exsúrgit de nóctibus, et dedit escas dómui, et ópera ancíllis. Quid valent noctes? Non eam premunt, non eam in ténebris jacére cogunt. Noctes tribulatiónes sunt; sed cui hæc? Et de nóctibus consúrgit, et in tribulatiónibus próficit. Et dedit escas dómui, in nóctibus præbuit se imitándam; fáciens dócuit quod faciéndum dixit: et tunc dedit escas. Quis cómedat de nocte? Prorsus, et tunc dedit escas: quibus enim dedit, semper esúriunt. Beáti enim, qui esúriunt, et sítiunt justítiam, quia ipsi saturabúntur. A nocte spíritus meus vígilat ad te, Deus. Hæc aliménta noctúrna abúndant in domo mulíeris hujus.

℟. Fallax grátia, et vana est pulchritúdo: * Múlier timens Deum, ipsa laudábitur. ℣. Date ei de fructu mánuum suárum, et laudent eam in portis ópera ejus. - Múlier. - Glória Patri. - Múlier.

In III Nocturno

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthæum

Lectio vii C. 13, 44-52

In illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis parábolam hanc: Símile est regnum cælórum thesáuro abscóndito in agro. Et réliqua.

Homilía sancti Joánnis Chrysóstomi

Homil. 48 in Matth. circa medium

Perpéndis, quómodo in mundo ábdita, atque celáta prædicá-

tio est, et in prædicatióne summa felícitas recóndita? Nisi ergo cunctas res tuas venúmdabis, non emes: nisi curióse quæras, non invénies. Duo hæc quippe nobis ad salútem necessária sunt, sæculárium rerum contémptus, et jugis vigilántia. Quærébat enim bonas margarítas; et cum invenísset unam pretiosíssimam, véndidit quæcúmque habébat, ac emit eam. Una quippe véritas est, nec in multas scínditur partes, ac véluti qui margarítam habet, novit se dívitem esse; sic et in prædicatióne veritátis, qui ei adhærent, opuléntos sese non ignórant.

℟. Os suum apéruit sapiéntiæ, et lex cleméntiæ in lingua ejus: considerávit sémitas domus suæ, * Et panem otiósa non comédit. ℣. Gustávit et vidit quia bona est negotiátio ejus: non exstinguétur in nocte lucérna ejus. - Et.

Lectio viii

Deinde, ne confidámus plúrimum, quóniam Evangélium suscépimus, neque opinémur sufficere solum nobis fidem ad salútem: horróris plenam affert parábolam. Símile est, inquit, regnum cælórum sagénæ missæ in mare, et cétera. Hanc autem parábolam non interrogátus, sed sponte atque a seípso ex parte interpretátur, et formídinem magis amplíficat. Nam ne, cum advértis pútrida foras ejécta esse, nullum aut parvum ejectiónis perículum credas, interpretándo subjúnxit: Quia in fornácem immíttent; et stridóre déntium, dolóris magnitúdinem expréssit. Animadvértis, quot perditiónis viæ?

℟. Regnum mundi, et omnem ornátum sæculi contémpsi propter amórem Dómini mei Jesu Christi: * Quem vidi, quem amávi, in quem crédidi, quem diléxi. ℣. Eructávit cor meum verbum bonum: dico ego ópera mea Regi. - Quem vidi. - Glória Patri. - Quem vidi.

IX Lectio de Ss. Abdon et Sennen.

Ad Laudes fit Com. Octavæ S. Marthæ Virginis: Ant. **Símile est,** ℣. **Spécie tua,** Oratio **Exáudi**, de Communi Virginum.

Deinde Commemoratio Ss. Mm.: Ant. **Vestri capílli,** ℣. **Exsultábunt,** Oratio **Deus, qui sanctis tuis.**

Vesp. de seq. Com. præc. diei infra Oct.

—✳—

Die 1 Augusti

Tunquæ:

In Octava S. JACOBI Apostoli

Duplex majus

In I Vesp. fit Com. S. Ignatii : Ant. **Hic vir,** ℣. **Justum,** Oratio **Deus, qui ad majórem.**

Deinde Com. S. Petri ad Vincula: Ant. **Tu es pastor,** ℣. **Tu es Petrus,** Oratio **Deus, qui beátum.**

Postea Com. S. Pauli: Ant. **Sancte Paule,** ℣. **Tu es vas,** Oratio **Deus, qui multitúdinem.**

Demum Com. Ss. Machabæorum Martyrum: Ant. **Istórum,** ℣. **Lætámini,** Oratio **Fratérna.**

In II Noct. Lectiones **Fundaménta ejus,** de Comm. App. 2 loco.

In III Nocturno

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthæum

Lectio vii C. 20, 20-23

In illo témpore: Accéssit ad Jesum mater filiórum Zebedæi cum fíliis suis, adórans et petens áliquid ab eo. Et réliqua.

Homilía sancti Ambrósii Epíscopi Lib. 2 de Fide ad Gratianum, cap. 3

Potéstis bíbere cálicem, quem ego bibitúrus sum? Dicéntibus autem illis: Póssumus; ait illis Jesus: Cálicem quidem meum bibétis: sedére autem ad déxteram meam vel ad sinístram non est meum dare vobis, sed quibus parátum est a Patre meo. Quam pátiens et clemens Dóminus, quam alta sapiéntia, et bona cáritas! Volens enim osténdere, quod non perfunctóriam rem áliquam discípuli postulárent, sed eam, quam impetráre non possent,

prærogatívam eis patérnæ honorificéntiæ reservávit, non métuens, ne quid juri próprio derogáret, qui non rapínam arbitrátus est esse se æquálem Deo. Simul díligens discípulos; quia, sicut habes: Usque in finem diléxit eos. Nóluit his, quos dilígeret, vidéri quod péterent denegásse sanctus et bonus Dóminus, qui mallet áliquid dissimuláre de jure, quam de caritáte depónere. Cáritas enim pátiens est, benígna est, non æmulátur, non inflátur, non quærit quæ sua sunt.

℟. Isti sunt, qui vivéntes in carne, plantavérunt Ecclésiam sánguine suo: * Cálicem Dómini bibérunt, et amíci Dei facti sunt. ℣. In omnem terram exívit sonus eórum, et in fines orbis terræ verba eórum. - Cálicem.

Lectio viii

Dénique ut agnoscátis, non infirmitátis, sed indulgéntiæ esse, quod dixit: Non est meum dare vobis, ubi sine matre fílii Zebedæi rogant, nihil de Patre dixit. Sic enim habes: Non est meum dare vobis, sed quibus parátum est. Ita Marcus Evangelísta pósuit. Ubi vero mater pro fíliis rogat, hoc est secúndum Matthæum: Non est, inquit, meum dare vobis, sed quibus parátum est a Patre meo. Hic áddidit, a Patre meo, quia majórem indulgéntiam matérnus poscébat afféctus. Quod si putant dicéndo: Quibus parátum est a Patre meo, quot aut Patri plus tríbuit, aut sibi áliquid derogávit, dicant, utrum et illic putent Patri áliquid derogátum, quia dixit in Evangélio Fílius de Patre: Pater non júdicat quemquam. Quodsi sacrilégium putámus dícere quod Pater ita judícium détulit Fílio, ut ipse non hábeat (habet enim nec potest amíttere, quod habet naturáliter divína majéstas), sacrilégium útique æstimáre debémus, quod non potest Fílius

dare quidquid aut hómines meréri possunt, aut quævis accípere creatúra, præsértim cum ipse díxerit: Ego ad Patrem vado, et quodcúmque ab eo petiéritis in nómine meo, hoc fáciam.

℟. Isti sunt viri sancti, quos elégit Dóminus in caritáte non ficta, et dedit illis glóriam sempitérnam: * Quorum doctrína fulget Ecclésia, ut sole luna. ℣. Sancti per fidem vicérunt regna, operáti sunt justítiam. - Quorum. - Glória Patri. - Quorum.

Pro
S. Petro ad Vincula:

Lectio ix

Theodósio junióre imperánte, Eudócia ejus uxor Jerosólymæ insígne præ céteris donum accépit férreæ caténæ, quam illam esse affirmábant, qua Petrus Apóstolus ab Heróde vinctus fúerat. Eudócia caténam pie veneráta, Romam ad fíliam Eudóxiam misit, ubi a summo Pontífice compósita cum ea, qua Neróne imperatóre idem beátus Apóstolus constríctus fúerat, ambæ inter se sic connéxæ sunt, ut non duæ, sed una caténa ab uno artífice confécta esse videréntur. Hinc, cum et ægrotórum salus, et obsessórum liberátio, sacro horum vinculórum contáctu sæpe obtinerétur, tantus honor sacris illis vínculis habéri cœpit, ut proptérea hoc nómine sancti Petri ad Víncula ecclésia, título Eudóxiæ, dedicáta sit in Exquíliis, ejúsque memóriæ dies festus, profánis Gentílium solemnitátibus abólitis, institútus fúerit Kaléndis Augústi.

Te Deum laudámus.

Ad Laud. fit Com. S. Petri: Ant. Quodcúmque, ℣. Tu es Petrus.

Deinde Com. S. Pauli Apostoli: Ant. Sancte Paule, ℣. Tu es vas.

Postea Ss. Machabæorum: Ant. Vestri capílli, ℣. Exsultábunt.

In II Vesp. Com. seq., S. Petri, S. Pauli, ac S. Stephani I Papæ et Martyris.

—*—

Die 2 Augusti

Sanctæ-Marthæ:

In Octava S. ANNÆ

Matris B. Mariæ V.

Duplex majus

In I Vesp. fit Com. S. Petri ad Vincula: Ant. **Solve,** ℣. **Tu es Petrus,** Oratio **Deus, qui beátum.**

Deinde Com. S. Pauli Apostoli: Ant. **Sancte Paule,** ℣. **Tu es vas,** Oratio **Deus, qui multitúdinem.**

Postea Com. S. Alfonsi de Ligorio Ep., Conf. et Eccl. Doct.: Ant. **O Doctor,** ℣. **Amávit,** Oratio **Deus, qui per beátum.**

Demum Com. Octavæ S. Marthæ: Ant. **Veni, sponsa,** ℣. **Diffúsa,** Oratio **Exáudi.**

Tandem Com. S. Stephani I Papæ et Mart.: Ant. **Iste sanctus,** ℣. **Glória,** Oratio **Deus, qui nos,** de Communi unius Mart.

In II Nocturno

De Sermóne sancti Augustíni Epíscopi

Sermo 45 de Diversis, cap. 9

Lectio iv

Duplícia pállia fecit viro suo. Jam acclamátis: Credo, quod agnóscitis, quæ sunt duplícia pállia. Laudes sunt, laudes fídei, laudes confessiónis, laudes prædicatiónis. Quare duplícia? Christum laudas, Deum laudas, et hóminem. Duplíciter lauda, simplíciter lauda. Duplíciter, quia homo est et Deus: simplíciter, ut non sis fictus. Confitére Deum, confitére hóminem: lauda Deum in hómine, lauda hóminem in Deo. Téxuit pretiosíssimum illud pállium laudis: In princípio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum: hoc erat in princípio apud Deum. Téxuit et áliud pállium, propter conversatiónem inter hómines quotidiánam: Verbum caro factum est, et habitávit in nobis.

℟. **Propter veritátem, et mansuetúdinem, et justítiam: * Et dedúcet te mirabíliter déxtera tua.** ℣. **Spécie tua et pulchritúdine tua inténde, próspere procéde, et regna. - Et dedúcet.**

Lectio v

Hic ergo ista laboriósa, vígilans, sollícita, sevére castígans domum suam, surgens de nóctibus, íntuens lucérnam ne exstinguátur, in tribulatióne fortis, nondum recéptis promíssis pavens, bráchia sua in fusum confírmans, non pigrum panem mandúcans. Sed post labóres istos quasi paupertátis et necessitátis sæculáris, quid erit quia in diébus novíssimis lætáta est? Quid erit? Audíte, propter quam spem árdeat lucérna nostra tota nocte, nunc audíte: Surrexérunt fílii ejus, et ditáti sunt. Modo in paupertáte vívimus, in paupertáte vigilámus: et cum mórimur, in paupertáte dormímus; sed surgémus et ditábimur. Quæ illæ divítiæ sunt Angelórum? unam vestem habent lucis: numquam téritur, numquam sordidátur. Si fílius es mulíeris hujus, atténde quando tibi divítiæ promittántur. Surrexérunt fílii ejus, et ditáti sunt, paráti resurrectiónis divítias accípere. Noli has amáre, ut mereáris ad illas veníre.

℟. Dilexísti justítiam, et odísti iniquitátem: * Proptérea unxit te Deus, Deus tuus, óleo lætítiæ. ℣. Propter veritátem, et mansuetúdinem, et justítiam. - Proptérea.

Lectio vi

Et vir ejus laudávit eam. Multæ, inquit, fíliæ fecérunt poténtiam. Laudes sunt, quibus eam laudat vir ejus. Quæ fíliæ, quibus hæc comparátur? Non comparátur. Tu autem superásti. Atténdite, rogo vos, jam in fine lectiónis sumus. Multæ fíliæ fecérunt poténtias, multæ locútæ sunt linguis, sciérunt ómnia sacraménta, fecérunt virtútes multas, dæmónia exclusérunt, res suas paupéribus distribuérunt, córpora sua ígnibus tradidérunt: inflátæ sunt, quia caritátem non habuérunt. Tu autem superásti et superposuísti omnes, non solum

flore, sed et fructu grávida abúndans. Date illi de frúctibus mánuum suárum. Quid date? Veníte, benedícti Patris mei. De quibus frúctibus mánuum ejus? Esurívi enim, et dedístis mihi manducáre. Et quod illi deínde negótium erit, finítis labóribus? Et laudétur in portis vir ejus. Ipse erit portus labórum nostrórum, vidére Deum, laudáre Deum.

℟. Fallax grátia, et vana est pulchritúdo: * Múlier timens Deum, ipsa laudábitur. ℣. Date ei de fructu mánuum suárum, et laudent eam in portis ópera ejus. - Múlier timens. - Glória Patri. - Múlier timens.

In III Nocturno

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthæum

Lectio vii C. 13, 44-52

In illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis parábolam hanc: Símile est regnum cælórum thesáuro abscóndito in agro. Et réliqua.

Homilía sancti Augustíni Epíscopi

Quæst. ex Matth. quæst. 16

Ideo omnis scriba doctus in regno cælórum símilis est hómini patrifamílias, qui profert de thesáuro suo nova et vétera. Utrum ista conclusióne expónere vóluit, quem díxerit thesáurum in agro abscónditum? Quóniam sanctæ Scriptúræ intelligúntur, quæ nómine duórum testamentórum novi et véteris concludúntur: quemádmodum apud álium Evangelístam, gládium bis acútum tali conclusióne vidétur expónere.

℟. Os suum apéruit sapiéntiæ, et lex cleméntiæ in lingua ejus: considerávit sémitas domus suæ, * Et panem otiósa non comédit. ℣. Gustávit et vidit quia bona est negotiátio ejus: non exstinguétur in nocte lucérna ejus. - Et.

Lectio viii

An quia in parábolis ista locútus est, et cum quæsísset ab eis,

utrum intellexíssent, respondérunt, se intellexísse? Fortásse ista similitúdine última patrisfamílias proferéntis de thesáuro suo nova et vétera osténdere vóluit, eum doctum habéndum esse in Ecclésia, qui étiam scriptúras véteres parábolis explicátas intelléxit, ab istis novis accípiens régulas; quia et ista Dóminus per parábolas enuntiávit, quamvis ipse Christus esset finis illórum; id est, ut in eo illa vétera compleréntur.

℟. Regnum mundi, et omnem ornátum sæculi contémpsi propter amórem Dómini mei Jesu Christi: * Quem vidi, quem amávi, in quem crédidi, quem diléxi. ℣. Eructávit cor meum verbum bonum: dico ego ópera mea Regi. - Quem. - Glória Patri. - Quem.

Pro S. Alfonso:

Lectio ix

Alfónsus María de Ligório, Neápoli nobílibus paréntibus natus, vix ut adolévit, ægrótis in públicis nosocomíis inservíre ac jugi in templis oratióni vacáre in delíciis habébat. Patri obtémperans, causárum patrocínia suscépit; fori tamen perícula expértus, ejúsmodi vitæ institútum ultro dimísit. Avíta primogenitúra abdicáta, et sacerdótio initiátus, tanto zelo írruit in vítia, ut ingéntes perditórum hóminum conversiónes perágeret. Páuperum præsértim et ruricolárum miserátus, congregatiónem Presbyterórum sanctíssimi Redemptóris ad eórum evangelizatiónem instítuit. Ne autem a propósito umquam divérteret, perpétuo se voto obstrínxit nullam témporis jactúram faciéndi. Domínicæ passiónis et sacræ Eucharístiæ contemplátor assíduus, atque Dei Genitrícis cultor exímius, non semel cæléstis ejus protectiónis signis est recreátus. Multa édidit sacra eruditióne ac pietáte reférta, quibus ánimas Christo lucrifácere stúduit. Ab ecclesiásticis dignitátibus

sibi oblátis constantíssime abhórruit; apostólica tamen auctoritáte coáctus, sanctæ Agathæ Gothórum ecclésiam gubernándam suscépit. Liberális in páuperes, ómnibus ómnia factus, sanctimoniáles ad perfectiórem vivéndi formam redégit. Episcopátu ob graves habitualésque morbos dimísso, ad suos revértitur. Tandem nonagenárius, innocéntia vitæ et pœniténtia fulgens, anno millésimo septingentésimo octogésimo séptimo placidíssime exspirávit. Eum Pius Papa nonus Ecclésiæ universális Doctórem declarávit.

Te Deum laudámus.

Ad Laud. fit Com. S. Alfonsi M. de Ligorio: Ant. **Euge,** ℣. **Justum.**

Deinde Octavæ sanctæ Marthæ: Ant. **Símile est,** ℣. **Spécie.**

Postea S. Stephani: Ant. **Qui odit,** ℣. **Justus.**

In II Vesp. Com. seq.. S. Alfonsi, ac Octavæ S. Marthæ (℣. **Spécie**).

—✳—

Die 5 Augusti

In Civitate Neo-Pampilone:

In Dedicatione

S. MARIÆ AD NIVES

Patroni principalis

Duplex I classis

cum Octava communi

Omnia ut in Brev.

In I Vesp. non fit Com. præced.

In II Vesp. Com. seq. tantum.

¶ Infra Octav. et in die Octava Antiphonæ et Psalmi ad omnes Horas et Versus Nocturnorum de occurrenti hebdomadæ die, ut in Psalterio; reliqua ut in Communi Festorum B. M. V. præter Lectiones, quæ in I Nocturno dicuntur de Scriptura occurrenti cum suis Responsoriis de Tempore, in II et III pro singulis diebus assignantur propriæ.

—✳—

Eadem die 5 Aug.

In Diœcesi S. Marthæ:

In Octava

S. MARTHÆ Virginis

Duplex majus

Antiphonæ et Psalmi ad omnes Horas et Versus Nocturnorum de occurrenti hebdomadæ

die, ut in Psalterio, reliqua de Communi Virginum, præter sequentia.

In I Vesp. fit Com. S. Dominici Conf.: Ant. Hic vir, ℣. Justum, Oratio Deus, qui Ecclésiam.

Deinde Dedicationis S. Mariæ ad Nives: Ant. Sancta María, ℣. Dignáre, Oratio Concéde nos.

Lectiones I Nocturni de Script. occurr. cum suis ℟℟. de Tempore.

In II Nocturno

De Epístola sancti Hierónymi Presbyteri ad Eustóchium

De custodia Virg. t. 1 circa medium

Lectio iv

De virgínibus, inquit Apóstolus, præcéptum Dómini non hábeo. Cur? quia et ipse ut esset virgo, non fuit impérii, sed própriæ voluntátis. Neque enim audiéndi sunt, qui eum uxórem habuísse confíngunt; cum de continéntia dísserens, et suádens perpétuam castitátem, intúlerit: Volo autem omnes esse sicut meípsum. Et infra: Dico autem innúptis et víduis: Bonum est illis, si sic permáneant, sicut et ego. Quare ergo non habet Dómini de virginitáte præcéptum? Quia majóris est mercédis, quod non cógitur et offértur: quia si fuisset virgínitas imperáta, núptiæ videbántur ablátæ; et durissimum erat contra natúram cógere, Angelorúmque vitam ab homínibus extorquére.

℟. Propter veritátem, et mansuetúdinem, et justítiam: * Et dedúcet te mirabíliter déxtera tua. ℣. Spécie tua et pulchritúdine tua inténde, próspere procéde, et regna. - Et.

Lectio v

Alia fuit in véteri lege felícitas. Ibi dícitur: Beátus, qui habet semen in Sion, et domésticos in Jerúsalem; et: Maledícta stérilis, quæ non pariébat; et: Fílii tui sicut novéllæ olivárum in circúitu mensæ tuæ. Vácuus erat orbis, et, ut de typicis táceam, sola erat benedíctio liberórum. Proptérea et

Abraham jam senex Cethúræ copulátur, et Jacob mandrágoris redímitur, et conclúsam vulvam in Ecclésiæ figúram Rachel conquéritur. Paulátim vero increscénte ségete, messor immíssus est. Virgo Elías, Eliséus virgo, vírgines multi fílii Prophetárum. Jeremíæ dícitur: Et tu ne accípias uxórem. Sanctificátus in útero, captivitáte propínqua, uxórem prohibétur accípere. Aliis verbis idípsum Apóstolus lóquitur: Exístimo hoc bonum esse propter instántem necessitátem. Quæ est ista necéssitas, quæ aufert gáudia nuptiárum? Tempus breviátum est, in próximo est Nabuchodónosor.

℟. Dilexísti justítiam, et odísti iniquitátem: * Proptérea unxit te Deus, Deus tuus, óleo lætítiæ. ℣. Propter veritátem, et mansuetúdinem, et justítiam. - Proptérea.

Lectio vi

Inveniebátur ergo, ut díximus, in viris tantum hoc continéntiæ bonum, et in dolóribus júgiter Heva parturiébat. Postquam vero virgo concépit in útero, et péperit nobis púerum, cujus principátus in húmeros ejus, Deum, fortem, patrem futúri sæculi, solúta maledíctio est. Mors per Hevam, vita per Maríam. Ideóque et dítius virginitátis donum fluxit in féminas, quia cœpit a fémina. Statim ut Fílius Dei ingréssus est super terram, novam sibi famíliam instítuit, ut qui ab Angelis adorabátur in cælo, habéret Angelos et in terris. Tunc Holoférnis caput Judith cóntinens amputávit: tunc Aman, qui interpretátur iníquitas, suo combústus est igni: tunc primum audítum est: Quæ non est nupta, cógitat quæ sunt Dómini, ut sit sancta córpore et spíritu.

℟. Afferéntur Regi vírgines post eam, próximæ ejus * Afferéntur tibi in lætítia et exsultatióne. ℣. Spécie tua et pulchritúdine tua inténde, próspere

procéde, et regna. - Afferéntur tibi. - Glória Patri. - Afferéntur tibi.

In III Nocturno

Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam

Lectio vii C. 10, 38-42

In illo témpore: Intrávit Jesus in quoddam castéllum: et múlier quædam, Martha nómine, excépit illum in domum suam. Et réliqua.

De Homilía sancti Augustíni Epíscopi

Serm. 27 de Verbis Domini, t. 10

Transit labor multitúdinis, et rémanet cáritas unitátis. Ergo quod elégit María, non auferétur ab ea: a te autem, Martha, quod elegísti (útique hoc séquitur, útique hoc subintellígitur) a te, quod elegísti, auferétur: sed bono tuo auferétur, ut quod mélius est detur. Auferétur enim a te labor, ut réquies detur. Tu návigas, illa jam in portu est.

℟. Hæc est Virgo sápiens, quam Dóminus vigilántem invénit, quæ accéptis lampádibus sumpsit secum óleum: * Et veniénte Dómino, introívit cum eo ad núptias. ℣. Média nocte clamor factus est: Ecce sponsus venit, exíte óbviam ei. - Et.

Lectio viii

Vidétis ergo, caríssimi, et quantum árbitror, jam intellígitis in his duábus muliéribus, quæ ambæ fuérunt Dómino gratæ, ambæ amábiles, ambæ discípulæ: vidétis ergo, et magnum áliquid intellígitis, quicúmque intellígitis, quod audíre et scire debétis étiam qui non intellígitis, in his duábus muliéribus duas vitas esse figurátas, præséntem et futúram, laboriósam et quiétam, ærumnósam et beátam, temporálem et ætérnam.

℟. Média nocte clamor factus est: * Ecce sponsus venit, exíte óbviam ei. ℣. Prudéntes Vírgines, aptáte vestras lámpades. - Ecce. - Glória Patri. - Ecce.

Pro S. Maria ad Nives:

Lectio ix

Libério summo Pontífice, Joánnes pa-

tricius Románus et uxor pari nobilitáte, cum líberos non suscepíssent, suam hereditátem sanctíssimæ Vírgini Dei Matri vovérunt. Quorum preces et vota beáta Virgo benígne áudiens, miráculo comprobávit. Nonis ígitur Augústi, quo témpore in Urbe máximi calóres esse solent, noctu nix partem collis Exquilíni contéxit. Qua nocte Dei Mater separátim Joánnem et cónjugem in somnis admónuit, ut in eo loco ecclésiam ædificárent. Quod Joánnes ad Libérium Pontíficem détulit, qui idem per sómnium sibi contigísse affirmávit. Quare ad collem venit nive coopértum, et in eo locum ecclésiæ designávit, quæ Joánnis et uxóris pecúnia exstrúcta est, póstea a Xysto tértio restitúta. Váriis nomínibus appelláta, ut vocábuli étiam excelléntia significarétur, ecclésia sanctæ Maríæ Majóris dicta est.

Te Deum laudámus.

In Laud. et II Vesp. fit Com. Dedicationis S. Mariæ ad Nives, ut in Communi Festorum B. Mariæ Virg.

—*—

Die 9 Augusti

Neo-Pampilone (in Civitate):

De V die infra Oct. S. MARIÆ AD NIVES

Semiduplex

Ant. **Sancta María,** ℣. **Dignáre,** Oratio **Concéde nos.**

Deinde Com. S. Romani Mart.: Ant. **Iste sanctus,** ℣. **Glória,** Oratio **Præsta... ut intercedénte.**

In II Noct. Lectiones **Sermo sancti Augustíni Epíscopi: Exsúltat María,** ut supra die 17 Junii, **48*,** de II die infra Oct. B. M. V. de Succursu cum ℟℟. ut ibidem.

In III Nocturno

Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam

Lectio vii C. 11, 27-28

In illo témpore: Loquénte Jesu ad turbas, extóllens vocem quædam múlier de turba dixit illi: Beátus venter, qui te portávit. Et réliqua.

Homilía sancti Irenæi Epíscopi et Mártyris
L. 3 adv. hæres. c. 32

Errant qui dicunt, Christum nihil ex Vírgine accepísse, ut abjíciant carnis hereditátem, abjíciant autem et similitúdinem. Hoc autem dícere est, et putatíve apparuísse eum, et tamquam hóminem, cum non esset homo; et factum eum hóminem nihil assuméntem de hómine. Si enim non accépit ab hómine substántiam carnis, neque homo factus est, neque fílius hóminis; et Apóstolus Paulus in Epístola, quæ est ad Gálatas, manifésté ait: Misit Deus Fílium suum factum de muliére.

℟. **Felix namque es, sacra Virgo María, et omni laude digníssima: * Quia ex te ortus est sol justítiæ, Christus Deus noster.** ℣. **Ora pro pópulo, intérveni pro clero, intercéde pro devóto femíneo sexu: séntiant omnes tuum juvámen, quicúmque célebrant tuam sanctam Festivitátem. - Quia.**

Lectio viii

Et rursus in ea, quæ est ad Romános: De Fílio autem, inquit, ejus, qui factus est ex sémine David secúndum carnem, qui prædestinátus est Fílius Dei in virtúte, secúndum spíritum sanctificatiónis, ex resurrectióne mortuórum Jesu Christi Dómini nostri. Céterum supervácua est in Maríam descénsio ejus. Quid enim in eam descendébat, si nihil incipiébat súmere ab ea? Aut si nihil sumpsísset ex María, numquam eas percepísset escas, per quas nutrítur corpus: nec quadragínta diébus esurísset corpus ejus, suam quærens escam.

℟. **Beátam me dicent omnes generatiónes: * Quia fecit mihi Dóminus magna qui potens est, et sanctum nomen ejus.** ℣. **Et misericórdia ejus a progénie in progénies timéntibus eum. - Quia. - Glória Patri. - Quia.**

IX Lectio pro Vig. S. Laurentii, de Hom. in Evang. **Si quis vult,**

de Comm. unius Mart. 2 loco.

Ad Laud. fit Com. Vigiliæ: Ant. et ℣. de Fer. curr., ut in Psalt., Oratio **Adésto.**

Deinde S. Romani: Ant. **Qui odit,** ℣. **Justus.**

Vesp. de seq. sine Commem.

—✳—

Die 11 Augusti

Neo-Pampilone (in Civitate):

De VII die infra Oct.

S. MARIÆ AD NIVES

Semiduplex

In II Nocturno

Lect. **Sermo sancti Bernárdi Abbátis: Novum fecit,** cum ℟℟. ut supra die 18 Junii, **51*,** de III die infra Oct. B. M. V. de Succursu.

In III Nocturno

Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam

Lectio vii C. 11, 27-28

In illo témpore: Loquénte Jesu ad turbas, extóllens vocem quædam múlier de turba dixit illi: Beátus venter, qui te portávit. Et réliqua.

Homilía sancti Augustíni Epíscopi

De sancta Virginit. c. 3

Quid áliud nos docet Dóminus, nisi carnáli cognatióni genus nostrum spirituále præpónere: nec inde beátos esse hómines, si justis et sanctis carnis propinquitáte jungúntur; sed si eórum doctrínæ ac móribus obediéndo atque imitándo cohæréscunt? Beátior ergo María percipiéndo fidem Christi, quam concipiéndo carnem Christi. Nam et dicénti cuídam: Beátus venter, qui te portávit; ipse respóndit: Imo beáti qui áudiunt verbum Dei, et custódiunt illud.

℟. **Felix namque es, sacra Virgo María, et omni laude digníssima: * Quia ex te ortus est sol justítiæ, Christus Deus noster.** ℣. **Ora pro pópulo, intérveni pro clero, intercéde pro devóto femíneo sexu: séntiant omnes tuum juvámen, quicúmque célebrant tuam sanctam Festivitátem. - Quia.**

Lectio viii

Dénique frátribus ejus, idest secúndum carnem cognátis, qui non in eum credíderant, quid prófuit illa cognátio? Sic et matérna propínquitas nihil Maríæ profuísset, nisi felícius Christum corde, quam carne gestásset. Ipsa quoque virgínitas ejus ídeo grátior et accéptior, quia non eam concéptus Christus viro violatúro, quam conserváret, ipse præerípuit; sed priúsquam concíperétur, jam Deo dicátam, de qua nasceréretur, elégit.

℟. Beátam me dicent omnes generatiónes: * Quia fecit mihi Dóminus magna qui potens est, et sanctum nomen ejus. ℣. Et misericórdia ejus a progénie in progénies timéntibus eum. - Quia. - Glória Patri. - Quia.

IX Lectio de sanctis Tiburtio et Susanna Mm., et fit eorumdem Commem. ad Laud.: Ant. **Vestri capílli,** ℣. **Exsultábunt,** Oratio **Sanctórum.**

Vesp. de seq. die Octava, Com. S. Claræ Virginis.

—✳—

Die 12 Augusti

Neo-Pampilone (in Civitate)

In Octava
S. MARIÆ AD NIVES

Duplex majus

In I Vesp. pro Com. S. Claræ: Ant. **Veni, sponsa,** ℣. **Spécie,** Oratio **Exáudi,** de Comm. Virginum.

In II Nocturno

De Expositióne sancti Gregórii Papæ in libros Regum

In I Regum 1

Lectio iv

Fuit vir unus de Ramáthaim Sophim, de monte Ephraim. Potest hujus montis nómine, beatíssima semper Virgo María, Dei Génitrix, designári. Mons quippe fuit, quæ omnem eléctæ creatúræ altitúdinem, electiónis suæ dignitáte transcéndit. An non mons sublímis María, quæ ut ad conceptiónem ætérni Verbi pertíngeret, meritórum vérticem supra omnes Angelórum choros, usque

ad sólium Deitátis eréxit? Hujus enim montis præcellentíssimam dignitátem Isaías vatícinans, ait: Erit in novíssimis diébus præparátus mons domus Dómini in vértice móntium. Mons quippe in vértice móntium fuit, quia altitúdo Maríæ supra omnes Sanctos refúlsit.

℟. Sicut cedrus exaltáta sum in Líbano, et sicut cypréssus in monte Sion : quasi myrrha elécta, * Dedi suavitátem odóris. ℣. Et sicut cinnamómum et bálsamum aromatízans. - Dedi.

Ex Epístola sancti Leónis Papæ ad Pulchériam Augústam

Epistola 13 ante med.

Lectio v

Sacraméntum reconciliatiónis nostræ ante témpora ætérna dispósitum, nullæ implébant figúræ : quia nondum supervénerat Spíritus Sanctus in Vírginem, nec virtus Altíssimi obumbráverat ei, ut et intra intemeráta víscera, ædificánte sibi Sapiéntia domum, Verbum caro fíeret, et forma Dei ac forma servi in unam conveniénte persónam, Creátor témporum nascerétur in témpore, et per quem facta sunt ómnia, ipse inter ómnia gignerétur. Nisi enim novus homo factus in similitúdinem carnis peccáti nostram suscíperet vetustátem, et consubstantiális Patri, consubstantiális esse dignarétur et matri, naturámque sibi nostram solus a peccáto liber uníret, sub jugo diáboli generáliter tenerétur humána captívitas.

℟. Quæ est ista quæ procéssit sicut sol, et formósa tamquam Jerúsalem? * Vidérunt eam fíliæ Sion, et beátam dixérunt, et regínæ laudavérunt eam. ℣. Et sicut dies verni circúmdabant eam flores rosárum, et lília convállium. - Vidérunt.

De Expositióne sancti Basílii Epíscopi in Isaíam Prophétam

In cap. 8 post initium

Lectio vi

Accéssi, inquit, ad Prophetíssam, et

in útero accépit, et péperit fílium. Quod María Prophetíssa fúerit, ad quam próxime accéssit Isaías per prænotiónem spíritus, nemo contradíxerit, qui sit memor verbórum Maríæ, quæ prophético affláta spíritu elocúta est. Quid enim ait? Magníficat ánima mea Dóminum, et exsultávit spíritus meus in Deo salutári meo: quia respéxit humilitátem ancíllæ suæ: ecce enim ex hoc beátam me dicent omnes generatiónes. Quod si ánimum accommodáveris univérsis ejus verbis, non útique per dissídium negáveris eam fuísse Prophetíssam, quod Dómini Spíritus in eam supervénerit, et virtus Altíssimi obumbráverit ei.

℟. Ornátam monílibus fíliam Jerúsalem Dóminus concupívit: * Et vidéntes eam fíliæ Sion, beatíssimam prædicavérunt, dicéntes: * Unguéntum effúsum nomen tuum. ℣. Astitit regína a dextris tuis in vestítu deauráto, circúmdata varietáte. - Et vidéntes. - Glória Patri. - Unguéntum.

In III Nocturno

Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam

Lectio vii C. 11, 27-28

In illo témpore: Loquénte Jesu ad turbas, extóllens vocem quædam múlier de turba dixit illi: Beátus venter, qui te portávit. Et réliqua.

Homilía sancti Joánnis Chrysóstomi

In Joann. c. 2, Hom. 20 circa finem

Cum audíeris mulíerem illam dicéntem: Beátus venter, qui te portávit, et úbera, quæ tu suxísti; deinde Dóminum respondéntem: Quin immo beáti, qui áudiunt verbum Dei, et custódiunt illud; ea senténtia dictum exístima, non quod matrem neglígeret, sed nihil ei utilitátis matris nomen allatúrum osténderet, nisi bonitáte et fide præstáret. Quod si Maríæ nihil sine virtúte matérna cáritas erat profutúra, longe minus nobis patris, fratris, matris, fílii bó-

nitas, nisi áliquid nostrum afferámus.

℟. Felix namque es, sacra Virgo María, et omni laude digníssima: * Quia ex te ortus est sol justítiæ, Christus Deus noster. ℣. Ora pro pópulo, intérveni pro clero, intercéde pro devóto femíneo sexu: séntiant omnes tuum juvámen, quicúmque célebrant tuam sanctam Festivitátem. - Quia.

Lectio viii

In nullo namque álio, nisi in solis sui ipsíus virtútibus post divínam grátiam de salúte cuípiam sperándum est. Nam si id profutúrum erat per se Maríæ, profuísset étiam Judæis, quorum consanguíneus erat Christus secúndum carnem; profuísset civitáti, in qua natus est; profuísset frátribus. Atqui dum fratres rerum suárum curam habuérunt, nihil eis propinquitátis nomen prófuit, sed cum réliquo mundo damnáti erant.

℟. Beátam me dicent omnes generatiónes: * Quia fecit mihi Dóminus magna qui potens est, et sanctum nomen ejus. ℣. Et misericórdia ejus a progénie in progénies timéntibus eum. - Quia fecit. - Glória Patri. - Quia fecit.

Pro S. Clara:

Lectio ix

Clara, nóbilis virgo, Assísii nata in Umbria, sanctum Franciscum concívem suum imitáta, cuncta sua bona in eleemósynas et páuperum subsídia distríbuit. De sæculi strépitu fúgiens, in campéstrem declinávit ecclésiam, ibíque ab eódem beáto Francísco recépta tonsúra, consanguíneis ipsam redúcere conántibus fórtiter réstitit. Deínde ad ecclésiam sancti Damiáni per eúmdem addúcta, sacrárum sorórum collégium instítuit: quarum régimen, nímia sancti Francísci devícta importunitáte, recépit. Suum monastérium sollícite ac prudénter annis quadragínta duóbus mirabíliter gubernávit. Saracénos monastérium invádere conántes, cum

sanctissimum Sacraméntum deférri jussísset, humíllime orans, pénitus fugávit. Evolávit in cælum prídie Idus Augústi, et ab Alexándro Papa quarto inter sanctas Vírgines est reláta.

Te Deum laudámus.

Ad Laud. fit Com. S. Claræ: Ant. **Símile est,** ℣. **Diffúsa.**

In II Vesp. Com. seq. et S. Claræ.

—✳—

Die 18 Augusti

Bogotæ (in Civitate):

S. ROCHI Conf.

Patroni minus princip.

Duplex majus **(m. t. v.)**

Oratio

Pópulum tuum, quæsumus Dómine, contínua pietáte custódi: et beáti Rochi suffragántibus méritis, ab omni fac ánimæ et córporis contagióne secúrum. Per Dóminum.

Et fit Com. S. Hyacinthi: Ant. **Hic vir,** ℣. **Justum,** Orat. **Deus, qui nos,** de Communi Conf. non Pont.

Deinde Com. Octavæ Assumptionis: Ant. **Hódie,** ℣. **Exaltáta,** Oratio **Famulórum.**

Postea Com. S. Agapiti Mart.: Ant. **Iste sanctus,** ℣. **Glória,** Oratio **Lætétur.**

In II Nocturno

Lectio iv

Rochus, in Monte Pesuláno natus, quanta in próximum caritáte flagráret, tum máxime osténdit, cum sævíssima peste longe latéque per Itáliam grassánte, pátria relícta, Itálicam peregrinatiónem suscépit, urbésque et óppida péragrans seípsum in ægrotántium obséquium impéndere, animámque suam pro frátribus pónere non dubitávit. Quod beáti viri stúdium quam gratum Deo fúerit, miris sanatiónibus declarátum est. Complúres enim pestiléntia inféctos e mortis perículo signo crucis erípuit, et íntegræ sanitáti restítuit. In pátriam revérsus, virtútibus et méritis dives sanctíssime óbiit, ejúsque óbitum statim subsecúta est venerátio fidélium, quæ in

Constantiénsi deínde concílio magnum recepísse dícitur increméntum, cum ad propulsándam ingruéntem luem Rochi imágo solémni pompa, omni comitánte pópulo, per eámdem civitátem, epíscopis approbántibus, est deláta. Itaque ejus cultus miríflce propagátus, et multæ civitátes eúmdem sibi apud Deum advérsus contagiósam luem patrónum religióso stúdio adoptárunt.

℟. Honéstum fecit illum Dóminus, et custodívit eum ab inimícis, et a seductóribus tutávit illum: * Et dedit illi claritátem ætérnam. ℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas, et osténdit illi regnum Dei. - Et dedit.

Ex Tractátu sancti Augustíni Epíscopi in Epístolam Joánnis

Tract. 5 in c. 3, n. 4

Lectio v

Perfécta ista cáritas est, ut parátus sis mori pro fratre. Hanc ipse Dóminus in se exhíbuit mórtuus pro ómnibus, orans pro eis a quibus crucifigebátur, et dicens: Pater, ignósce illis, quia nésciunt quid fáciunt. Sed si solus hoc fecit, non erat Magíster, si discípulos non habébat. Si quis tantam habúerit caritátem, ut parátus sit pro frátribus étiam mori, perfécta est in illo cáritas. Sed numquid mox, ut náscitur, jam prorsus perfécta est? Ut perficiátur náscitur; cum fúerit nata, nutrítur; cum fúerit nutríta, corroborátur; cum fúerit roboráta, perfícitur; cum ad perfectiónem vénerit, quid dicit? Mihi vívere Christus est, et mori lucrum. Optábam dissólvi, et esse cum Christo; multo enim magis óptimum: manére in carne necessárium propter vos. Propter eos volébat vívere, pro quibus parátus erat mori.

℟. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum: stolam glóriæ índuit eum, * Et ad portas paradísi coronávit eum. ℣. Induit eum Dóminus lorícam fídei, et

ornávit eum. - Et ad portas.

Lectio vi

Tract. 6 in cap. 3, n. 1

Hæc est perféctio caritátis, major omníno non potest inveníri. Sed quia non in ómnibus perfécta est, et desperáre non debet, in quo perfécta non est, si jam nata est quæ perficiátur; et útique si nata est, nutriénda est, et quibúsdam suis nutriméntis ad perfectiónem própriam perducénda. Quæsívimus inchoatiónem caritátis unde incípiat, et ibi contínuo invénimus: Si quis habet facultátes mundi, et víderit fratrem suum egéntem, et cláuserit víscera sua advérsus eum, quómodo diléctio Patris manet in illo? Ergo hinc íncipit ista cáritas, fratres, ut de suis supérfluis tríbuat egénti in angústiis alíquibus constitúto; ex eo quod sibi abúndat secúndum tempus, a tribulatióne temporáli líberet fratrem. Hinc exórdium est caritátis. Hanc ita cœptam, si verbo Dei et spe futúræ vitæ nutríeris, pervénies ad illam perfectiónem, ut parátus sis ánimam tuam pónere pro frátribus tuis.

℟. **Iste homo perfécit ómnia quæ locútus est ei Deus, et dixit ad eum: Ingrédere in réquiem meam: * Quia te vidi justum coram me ex ómnibus géntibus.** ℣. **Iste est, qui contémpsit vitam mundi, et pervénit ad cæléstia regna. - Quia. - Glória Patri. - Quia.**

In III Noct. Homilia in Evang. **Nolíte timére,** de Comm. Conf. non Pont. 2 loco.

IX Lectio de S. Agapito.

In Laud. fit Com. Octavæ Assumptionis Ant. **Quæ est ista,** ℣. **Exaltáta.**

Deinde S. Agapiti: Ant. **Qui odit,** ℣. **Justus.**

In II Vesp. Commemoratio sequentis diei infra Octavam Assumptionis B. M. V.: Ant. **Virgo,** ℣. **Exaltáta,** Oratio **Famulórum.**

—✳—

Eadem die 18 Augusti

Sanctæ-Marthæ:

B. MARIÆ VIRG. MATRIS GRATIARUM

nuncupatæ

DE TORCOROMA

Patronæ minus princ.

Duplex majus

Omnia ut in Comm. Festorum B. Mariæ V., præter sequentia.

Oratio

Deus, qui humáno géneri beátæ Maríæ virginitáte fecúnda reparatiónis grátiam contulísti: concéde; ut, quam grátiæ Matrem appellámus in terris, ejus felíci consórtio perénniter perfruámur in cælis. Per Dóminum

Et fit Com. S. Hyacinthi: Ant. **Hic vir,** ℣. **Justum,** Oratio **Deus, qui nos,** de Communi Conf. non Pont.

Deinde S. Agapiti Mart.: Ant. **Iste sanctus,** ℣. **Glória,** Oratio **Lætétur.**

In II Nocturno

Sermo sancti Thomæ Epíscopi

Conc. 1 de Annunt.

Lectio iv

Admirándam omníque virtúte præstántem Genitrícem Dei Maríam pro mei ingénii exiguitáte toto ánimi desidério laudáre desíderans, nullum fere in Sacris Litteris pótui reperíre præcónium, quod ad litteram ejus nobis glóriam excellentiámque demónstret. Nam etsi de illa per prophétas plúrima mystice dicta, fáctaque passim legántur, unde possit virtútis ejus magnitúdo constáre, in evangélicis tamen, aut apostólicis scriptis rarus de illa sermo, et multo rárior laus invenítur; quamvis, ut verum fátear, non ita siléntio trádita sit, ut in eórum dictis virtútum ejus cláritas tenuíssimo rádio, véluti per quasdam verbórum rímulas, non eníteat. Sed unde magis ejus glóriam, virtútes, dotésque ánimi potérimus auspicári, quam ex illo mirífico ejus et Angeli collóquio? In quo præter hoc, quod angélico elóquio grátia pleníssima et ómnium feminárum prima mérito prædicátur, ex gestis ejus et

dictis multa nimis præconiórum ejus silva emícuit.

℟. Sicut cedrus exaltáta sum in Líbano, et sicut cypréssus in monte Sion: quasi myrrha elécta, * Dedi suavitátem odóris. ℣. Et sicut cinnamómum et bálsamum aromatízans. - Dedi.

Lectio v

Ingréssus Angelus ovánter, salutávit reverénter: Ave, inquit, grátia plena: Dóminus tecum: plena grátia, impléndа Deitáte, obumbránda virtúte; grátia plena, de cujus plenitúdine accípiunt univérsi, de cujus abundántia totus repléndus est orbis. Et vere plena, in cujus ánimo nullus peccáto relíctus est locus, nullus iniquitáti pátuit accéssus. Dóminus tecum. Et quómodo tecum? non útique sicut mecum, sed sicut núllibi: tecum in córpore, tecum in mente, tecum in ánimo, tecum in consílio, tecum in útero, tecum in auxílio, tecum in ortu, tecum in éxitu, tecum in fine, tecum sine fine.

℟. Quæ est ista quæ procéssit sicut sol, et formósa tamquam Jerúsalem? * Vidérunt eam fíliæ Sion, et beátam dixérunt, et regínæ laudavérunt eam. ℣. Et sicut dies verni circúmdabant eam flores rosárum, et lília convállium. - Vidérunt.

Lectio vi
Conc. 2 de Annunt.

Cæléstі ergo legatióne audíta, sic fatur ad Angelum: Ecce ancílla Dómini: fiat mihi secúndum verbum tuum. Grandi ergo mystério, altissimóque Deitátis instínctu conceptúra Deum, sui méminit ancillátus, ut oriéntem a se fílium mundi obséquio mancipáret. Fiat mihi, ait, secúndum verbum tuum: et ad verbum ejus, statim in útero incarnátum est Verbum. O fiat potens, o fiat éfficax, o fiat super omne fiat perpétuo honóre venerándum! Hoc verbo fiat factus est mundus. Hoc verbo cæléstia terrestriáque Altíssimus

cóndidit: sed tale fiat non sónuit in orbe, quale tu nunc beáta dixísti. Quid enim factum est? quis dícere potest quid factum est? Natúra stupet, judícium hæret, hebéscit sensus, lingua mutéscit, rátio déficit, intelléctus non capit quod factum est in María cum hoc prótulit verbum: Fiat mihi secúndum verbum tuum. Sanctíssimæ Matris Dei quanta sit benígnitas in omni gratiárum genus largiéndo, amplíssime expérti sunt diœcésis Sanctæ Marthæ fidéles in Columbiána Ditióne. Exstat enim ibi, in monte Torcoróma ad óppidum Ocániam, nóbile templum, in quo imágo Deíparæ, prodigiáliter uti fertur invénta, singulári religióne cólitur magnóque piórum concúrsu ad opem potentíssimæ Vírginis implorándam. Adest vero clementíssima mater orántibus tam úberi auxílio ut accépta benefícia commemoráre quotánnis solémni celebritáte placúerit: quod Pius décimus Póntifex Máximus, ad increméntum pietátis, fíeri benígne concéssit.

℟. Ornátam monílibus fíliam Jerúsalem Dóminus concupívit: * Et vidéntes eam fíliæ Sion, beatíssimam prædicavérunt, dicéntes: * Unguéntum effúsum nomen tuum. ℣. Astitit regína a dextris tuis in vestítu deauráto, circúmdata varietáte. - Et. - Glória Patri. - Unguéntum.

In III Nocturno

Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam

Lectio vii C. 1, 26-38

In illo témpore: Missus est Gábriel Angelus a Deo in civitátem Galilææ, cui nomen Názareth, ad vírginem desponsátam viro, cui nomen erat Joseph de domo David, et nomen vírginis María. Et réliqua.

Homilía sancti Augustíni Epíscopi

Serm. 291 in Nativit. S. Joannis Baptistæ

Angelus vero idem ipse ad Maríam Vírginem: Ave, inquit, grátia plena: Dóminus

tecum; jam tecum est, qui erit in te. Dic mihi ergo, núntie Dei, quómodo fiet istud? Vide Angelum sciéntem, illam quæréntem, non diffidéntem. Quia ergo vidit eam quæréntem, non diffidéntem, non se negávit instruéntem. Audi quómodo: erit virgínitas tua, tu tantum crede veritátem, serva virginitátem, áccipe integritátem. Quóniam íntegra est fides tua, intácta erit et intégritas tua. Dénique audi, quómodo fiet istud: Spíritus Sanctus supervéniet in te, et virtus Altíssimi obumbrábit tibi, quia fide concípies, quia credéndo in útero, non concumbéndo habébis: proptérea quod nascétur de te Sanctum vocábitur Fílius Dei. Quid es, quæ póstea paritúra es? unde meruísti? unde hoc accepísti? unde fiet in te, qui fecit te? unde, inquam, tibi hoc tantum bonum? Virgo es, sancta es, votum vovísti; sed multum, quod meruísti, imo vero multum, quod accepísti.

℟. Sub tuum præsídium confúgimus, clementíssima Virgo, súscipe nos, única spes nostra, et nostris delectáre láudibus, * Quibus indígni omni te laude digníssimam collaudámus. ℣. Aufer a nobis iniquitátes nostras, ut digni canámus tibi glóriæ melos. - Quibus.

Lectio viii

Nam unde hoc meruísti? Fit in te, qui fecit te; fit in te, per quem facta es; immo vero per quem factum est cælum et terra, per quem facta sunt ómnia, fit in te Verbum Dei caro, accipiéndo carnem, non amitténdo divinitátem. Et Verbum júngitur carni, et Verbum copulátur carni, et hujus tanti conjúgii thálamus úterus tuus, et hujus, inquam, tanti conjúgii, id est Verbi et carnis thálamus úterus tuus: unde ipse Sponsus procédit de thálamo suo. Invénit te Vírginem concéptus, dimíttit Vírginem natus. Dat fecunditátem, non tol-

lit integritátem. Unde tibi hoc? Protérve Vírginem vídeor interrogáre, et quasi importúne aures verecúndas ista mea voce pulsáre. Sed vídeo Vírginem verecundántem, et tamen respondéntem, meque admonéntem. Quæris a me, unde mihi hoc? Verecúndor tibi respondére bonum meum: Angeli audi ipsíus salutatiónem, et in me agnósce tuam salútem. Crede cui crédidi. Unde mihi hoc quæris? Angelus respóndeat. Dic mihi, Angele, unde Maríæ hoc? Jam dixi, cum salutávi: Ave, grátia plena.

℟. Porta cæli et stella maris es, Virgo María, Regis ætérni Mater, gratos nos redde Fílio tuo, * Quia omnis virtus, et decor, et glória ex te respléndet. ℣. Tu véniæ vena, tu grátiæ Mater, tu spes mundi, exáudi nos clamántes ad te. - Quia. - Glória Patri. - Quia.

IX Lectio de S. Agapito; si vero non sit facienda Commemoratio Simplicis, erit sequens

Lectio ix

Serm. 290 de Sanctis

María vero quando e contra ait, Quómodo fiet istud, quóniam virum non cognósco, inquiréndo dixit, non desperándo. Dum interrogávit, non de promissióne dubitávit. O vere grátia plena! Sic est enim ab Angelo salutáta: Ave, grátia plena. Quis hanc éxplicet grátiam? quis huic grátiæ grátias agéndo sufficiat? Fit homo, et per líberum arbítrium perit homo, et invenítur homo factus, qui fecit, ne períret quem fecit. In princípio Verbum Deus apud Deum, per quod ómnia facta sunt, fit caro: Verbum caro factum est, et habitávit in nobis. Caro fit Verbum, sed caro accédit ad Verbum, non périit in carne Verbum. O grátia! ut hoc haberémus, quid digni erámus?

Te Deum laudámus.

Ad Laud. fit Commemoratio S. Agapiti: Ant. **Qui odit,** ℣. **Justus ut palma,** Oratio **Lætétur.**

In II Vesperis

℣. **Ave, María, grátia plena.**

℟. **Dóminus tecum.**

Ad Magnif. Ant. **O beáta Virgo María: tu véniæ vena, tu grátiæ Mater, tu spes mundi, exáudi fílios tuos clamántes ad te.**

—✳—

Die 30 Augusti

S. ROSÆ LIMANÆ

Virginis

Patr. præcipuæ Americ.

Duplex I classis cum Octava communi

Omnia ut in Comm. Virginum et in Proprio Sanctorum.

In I Vesp. non fit Com. præc., nec Ss. Felicis et Adaucti Mm.

In I Noct. Lectiones **De virgínibus,** de eod. Comm. 1 loco.

Omittitur Com. ac ix Lectio Ss. Mm.

In Vesp. Com. seq.

¶ Infra Octav. et in die Octava Ant. et Ps. ad omnes Horas et Versus Nocturnorum de occurr. hebdom. die, ut in Psalterio; Oratio ut in Festo, reliqua de Comm. Vv. præter Lectiones, quæ in I Nocturno erunt de Script. occurr. cum suis ℟℟. de Temp., in II et III pro singulis diebus assignantur propriæ.

—✳—

Die 1 Septembris

De III die infra Oct.

S. ROSÆ LIMANÆ

Semiduplex

Ant. **Veni, sponsa,** ℣. **Spécie,** Oratio **Bonórum.**

Deinde Com. S. Ægidii Abb.: Ant. **Similábo,** ℣. **Amávit,** Oratio **Intercéssio,** de Comm. Abbatum.

Postea Com. sanctorum duodecim Fratrum Mm.: Ant. **Istórum,** ℣. **Lætámini,** Oratio **Fratérna.**

In II Noct. Lectiones **Sermo sancti Ambrósii Epíscopi: Quóniam hódie natális est,** de Communi Vv. 1 loco.

In III Nocturno

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthæum

Lectio vii C. 25, 1-13

In illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis parábolam hanc: Símile erit regnum cælórum decem virgínibus, quæ accipiéntes

lámpades suas, exiérunt óbviam sponso et sponsæ. Et réliqua.

De Homilía sancti Gregórii Papæ
Homilia 12 in Evang.

Notándum vero, quod omnes lámpades habent, sed omnes óleum non habent: quia plerúmque bona in se ópera cum eléctis et réprobi osténdunt: sed soli ad sponsum cum óleo véniunt, qui de his, quæ foris égerint, intus glóriam requírunt. Unde per Psalmístam quoque de sancta electórum Ecclésia dícitur: Omnis glória ejus fíliæ regis ab intus. Dormitavérunt omnes et dormiérunt. Dormíre, mori est: ante somnum vero dormitáre, est ante mortem a salúte languéscere: quia per pondus ægritúdinis pervenítur ad somnum mortis.

℟. Hæc est Virgo sápiens, quam Dóminus vigilántem invénit, quæ accéptis lampádibus sumpsit secum óleum: * Et veniénte Dómino, introívit cum eo ad núptias. ℣. Média nocte clamor factus est: Ecce sponsus venit, exíte óbviam ei. - Et veniénte.

Lectio viii

Quid est autem, quod fátuæ a prudéntibus óleum petunt, nisi quod in advéntu Júdicis, cum se intus vácuas invénerint, testimónium foris quærunt? Ac si a sua fidúcia decéptæ próximis dicant: Quia nos quasi sine ópere repélli conspícitis, dícite de nostris opéribus, quod vidístis. Unde et prudéntes per increpatiónem subdunt: Ite pótius ad vendéntes, et émite vobis. Venditóres quippe ólei, adulatóres sunt. De quo profécto óleo Psalmísta dicit: Oleum autem peccatóris non impínguet caput meum.

℟. Média nocte clamor factus est: * Ecce sponsus venit, exíte óbviam ei. ℣. Prudéntes Vírgines, aptáte vestras lámpades. - Ecce. - Glória Patri. - Ecce.

IX Lectio de S. Ægidio Abbate.

Ad Laudes fit Commemoratio S. Ægidii Abbatis: Ant. **Euge**, ℣. **Justum.**

Deinde Ss. duodecim Fratrum Mm.: Ant. **Vestri capílli**, ℣. **Exsultábunt.**

Vesperæ de sequenti, Com. præcedentis.

—*—

Die 3 Septembris

De V die infra Oct.

S. ROSÆ LIMANÆ

Semiduplex

Ant. **Veni, sponsa**, ℣. **Spécie**, Oratio **Bonórum.**

In II Nocturno

Sermo sancti Ambrósii Epíscopi

L. 1 de Virg. ante med.

Lectio iv

Ego licet laudatiónem non suscéperim virginitátis, sed expressiónem; ad rem tamen pertinére árbitror, ut quæ sit ei pátria, quis auctor, appáreat. Ac prius ubi sit pátria, definiámus. Si enim ibi est pátria, ubi genitále domicílium; in cælo profécto est pátria castitátis: ítaque hic ádvena, ibi íncola est. Quid autem est cástitas virginális, nisi expers contagiónis intégritas? Atque ejus auctórem quem póssumus existimáre, nisi immaculátum Dei Fílium, cujus caro non vidit corruptiónem, divínitas non est expérta contagiónem?

℟. **Propter veritátem, et mansuetúdinem, et justítiam:* Et dedúcet te mirabíliter déxtera tua.** ℣. **Spécie tua et pulchritúdine tua inténde, próspere procéde, et regna. - Et.**

Lectio v

Vidéte ígitur, quanta virginitátis mérita sint. Christus ante vírginem, Christus ex vírgine; a Patre quidem natus ante sæcula, sed ex vírgine natus ob sæcula. Illud natúræ suæ, hoc nostræ utilitátis est. Illud erat semper, hoc esse vóluit. Spectáte áliud virginitátis méritum. Christus virgo vírginis sponsus, et si dici potest, Christus virgíneæ castitátis. Virgínitas enim Christi, non virginitátis est Christus. Virgo est ergo, quæ nupsit,

virgo quæ nos suo útero portávit, virgo quæ génuit, virgo quæ próprio lacte nutrívit. Sed jam a matre descendámus ad fílias.

℟. Dilexísti justítiam, et odísti iniquitátem: * Proptérea unxit te Deus, Deus tuus, óleo lætítiæ. ℣. Propter veritátem, et mansuetúdinem, et justítiam. - Proptérea.

Lectio vi

De virgínibus, inquit Apóstolus, præcéptum Dómini non hábeo, consílium autem do. Si Doctor géntium non hábuit, habére quis pótuit? Et præcéptum quidem non hábuit, sed hábuit exémplum: non enim imperári potest virgínitas, sed optári. Nam quæ supra nos sunt, in voto magis quam in magistério sunt. Sed volo vos, inquit, sine sollicitúdine esse: nam qui sine uxóre est, sollícitus est, quæ Dómini sunt, quómodo pláceat Deo. Et virgo cógitat, quæ Dómini sunt, ut sit sancta córpore et spíritu. Non ego quidem dissuádeo matrimónium, sed virginitátis attéxo benefícium.

℟. Afferéntur Regi vírgines post eam, próximæ ejus * Afferéntur tibi in lætítia et exsultatióne. ℣. Spécie tua et pulchritúdine tua inténde, próspere procéde, et regna. - Afferéntur tibi. - Glória Patri. - Afferéntur tibi.

In III Nocturno

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthæum

Lectio vii C. 25, 1-13

In illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis parábolam hanc: Símile erit regnum cælórum decem virgínibus, quæ accipiéntes lámpades suas, exiérunt óbviam sponso et sponsæ. Et réliqua.

Homilía sancti Hierónymi Presbyteri

Lib. 4 in Matth. c. 25

Hanc parábolam quidam simplíciter in virgínibus interpretántur; quarum áliæ, juxta Apóstolum, et córpore et mente sunt vírgines, áliæ virginitátem tantum córporum reservántes, vel

cétera ópera non habent propósito suo simília; vel paréntum custódia reservátæ, nihilóminus mente nupsérunt. Sed mihi vidétur ex superióribus álius sensus esse, qui dícitur; et non ad virginália córpora, sed ad omne hóminum genus comparátio pertinére.

℟. Hæc est Virgo sápiens, quam Dóminus vigilántem invénit, quæ accéptis lampádibus sumpsit secum óleum: * Et veniénte Dómino, introívit cum eo ad núptias. ℣. Média nocte clamor factus est: Ecce sponsus venit, exíte óbviam ei. - Et.

Lectio viii Post pauca

Qui idcírco omnes vírgines appellántur, quia gloriántur in uníus Dei notítia, et mens eórum idololatríæ túrbine non constuprátur. Oleum habent Vírgines, quæ juxta fidem, et opéribus adornántur. Non habent óleum, quæ vidéntur símili quidem fide Dóminum confitéri, sed virtútum ópera négligunt. Póssumus quinque vírgines sapiéntes et stultas quinque sensus interpretári, quorum álii festínant ad cæléstia, et supérna desíderant: álii terrénis fæcibus inhiántes, foménta non habent veritátis, quibus sua corda illúminent.

℟. Média nocte clamor factus est:* Ecce sponsus venit, exíte óbviam ei. ℣. Prudéntes Vírgines, aptáte vestras lámpades. - Ecce. - Glória Patri. - Ecce.

Lectio ix

Dicámus áliquid, quod fórsitan lectóri útile sit. Tradítio Judæórum est, Christum média nocte ventúrum in similitúdinem Ægyptii témporis, quando Pascha celebrátum est, et exterminátor venit: unde reor, et traditiónem Apostólicam permansísse, ut in die Vigiliárum Paschæ ante noctis dimídium, pópulum dimíttere non líceat, exspectántes advéntum Christi: et postquam illud tempus transíerit, securitáte præsúm-

pta, festum cunctos ágere diem. Tunc surrexérunt omnes vírgines illæ. Quæ lámpades suas querúntur exstíngui, osténdunt eas ex parte lucére: et tamen non habent lumen indefíciens, nec ópera perpétua.

Te Deum laudámus.

Vesp. de seq. Dom. I Septembris, Com. Oct. S. Rosæ.

Index alphabeticus

Pag

Die 2 Junii

B. MARIÆ ANNÆ A JESU DE PAREDES Virginis

Duplex

Oratio

Deus, qui inter sæculi étiam illécebras beátam Maríam Annam, ut lílium inter spinas, virgináli castitáte, et jugi pœniténtia floréscere voluísti: præsta, quæsumus; ut ejus méritis et intercessióne retrahámur a vítiis et perfectióra sectémur. Per Dóminum nostrum.

In II Nocturno

Lectio iv

María Anna a Jesu de Parédes, Quiti in América meridionáli claro génere nata, ab ipsa pene infántia perféctam vivéndi ratiónem iniit. Mirábilis in ea morum intégritas et candor, ardens in Deum píetas, constans erga immaculátam Dei Genitrícem cultus et observántia, assíduum precándi stúdium. Vix décimum ætátis annum ingréssa se totam Deo arctíssime obstrínxit, tribus emíssis perpétuæ castitátis, paupertátis et obediéntiæ votis, quæ ad óbitum usque sancte servávit. Cum laudes audíret trium e Societáte Jesu Mártyrum, qui in Japóniæ regno pro christiána fide sánguinem profudíssent, inusitáto quodam divínæ glóriæ propagándæ ardóre succénsa, clam se ad iter accínxit, ut apud bárbaras gentes lumen veritátis inférret. Verum cum ínitum éxsequi consílium mínime potuísset, divínæ acquiéscens voluntáti própria in domo sibi recéssum paráre constítuit, ubi procul ab humánis curis uni Deo conjunctíssime víveret.

℟. Propter veritá-

tem, et mansuetúdinem, et justítiam: * Et dedúcet te mirabíliter déxtera tua. ℣. Spécie tua et pulchritúdine tua inténde, próspere procéde, et regna. - Et dedúcet.

Lectio v

Itaque in partem suárum ædium interiórem se recépit, nec inde umquam prodíbat in públicum, nisi vel cáritas erga próximos, vel pietátis offícia expléndа urgérent. In eo autem secéssu, tamquam in erémo, antíquis severiórum patrum exémplis innovátis, innocentíssimum corpus mirum in modum continénter vexávit. Caput coróna spínea, pectus et látera rigénti cilício, pedes lapíllis, omnésque artus flagéllis, et férreis caténis ac inaudítis quibúsdam ártibus, quas Christi Dómini amor suggerébat, semel atque íterum diu noctúque cruentábat. Ad majórem sui afflictatiónem léctulo ex asséribus, vel cruce acutíssimis spinis intertéxta utebátur, cibo ádeo ténui, ut octávo, quandóque étiam décimo quoque die vix única áridi panis úncia vescerétur. Erga omnes tamen comis et affábilis, ánimos étiam perditórum hóminum sibi demerebátur, quos ex omni órdine a vitiórum fœditáte ad vitæ honestátem, suis consíliis et précibus tradúxit.

℟. Dilexísti justítiam, et odísti iniquitátem: * Proptérea unxit te Deus, Deus tuus, óleo lætítiæ. ℣. Propter veritátem, et mansuetúdinem, et justítiam. - Proptérea.

Lectio vi

His aliísque auctam virtútibus Deus fámulam suam multis præclarísque munéribus illustrávit. Assíduæ rerum divinárum contemplatióni dédita, dies noctésque pene íntegras in Dei amóre quiescébat; nec defuérunt qui eam sublímem a terra, ánimo a sénsibus avocáto, et vultu cælésti luce radiánte ab se visam confirmárent. Prophetíæ et scrutatiónis córdi-

um dono insígnis, non solum futúra et abséntia prænuntiávit, sed ánimos hóminum, cogitatiónes et máculas introspéxit. Nec minor in morbis depelléndis vis éxstitit. Multis enim extrémo morbo laborántibus, aut crucis signo, aut aquæ sacræ aspersióne desperátam córporis sanitátem restítuit; et mórtuam féminam suis précibus in vitam revocávit. Ita erga omnes caritáte affécta, vitam dénique ipsam, dum atra lues grassarétur, pro cívium incolumitáte Deo óbtulit, et morbo corrépta placidíssimo éxitu migrávit ad Sponsum, anno millésimo sexcentésimo quadragésimo quinto, ætátis suæ sexto et vigésimo. Statim post óbitum ex ejus sánguine concréto candidíssimum lílium pródiit, ex quo ipsa Quiténsis lílii nomen obtínuit. Fama autem sanctitátis longe latéque diffúsa, et a Deo plúribus signis confirmáta, Pius nonus Póntifex Máximus puríssimam vírginem solémni cæremónia sacris Beatórum fastis adscrípsit.

℟. Afferéntur Regi vírgines post eam, próximæ ejus * Afferéntur tibi in lætítia et exsultatióne. ℣. Spécie tua et pulchritúdine tua inténde, próspere procéde, et regna. - Afferéntur. - Glória Patri. - Afferéntur.

In III Noct. Homilia in Evang. Símile erit, de Comm. Virg. 1 loco.

OFFICIA PROPRIA

DITIONIS COLUMBIANÆ

JUXTA KALENDARIUM

A S. R. C. REVISUM ET ADPROBATUM
DIE 6 FEBRUARII 1914

PARS AUTUMNALIS

TAURINI
SUMPTIBUS ET TYPIS EQ. PETRI MARIETTI
S. SEDIS APOST. ET S. RITUUM CONGR. TYPOGR.
Domus a. 1862 condita

MCMXIV

Approbatio.

Quum præsens Proprium Officiorum in usum Ditionis Columbianæ concordet cum textu originali rite revisum et adprobatum die 15 Septembris 1914, nihil obstat quominus Rmi Ordinarii ad quos spectat concedant: *Imprimatur;* juxta Decretum diei 3 Junii 1914.

Ex Secretaria Sacrorum Rituum Congregationis, die 15 Septembris 1914.

PH. Can. DI FAVA, Substitutus.

Imprimatur.

Bogotæ, die 11 Novembris 1914.

L. ✠ S.

† BERNARDUS

Archiepiscopus Bogoten.

Imprimatur.

Taurini, die 10 Decembris 1914.

† C. CASTRALE, Vic. Gen

(14-XII-14-11)

KALENDARIUM PERPETUUM

IN USUM

DITIONIS COLUMBIANÆ

A SACRA RITUUM CONGREG. ADPROBATUM

DIEBUS 8 JAN. 1913 ET 6 FEBR. 1914

Omnia ut in Kalendario Ecclesiæ universalis, præter ea, quæ hic habentur propria:

Augustus

30 **S. Rosæ Limanæ Virg., Patronæ principalis Americæ, dupl. I classis cum Octava communi.**

September

1 **De III die infra Octavam, semidupl. Com. S. Ægidii Abb. ac Ss. Duodecim Fratrum Mm.**
2 S. Stephani Regis, Conf., semidupl. Com. Oct.
3 De V die infra Octavam, semidupl.
4 De VI die infra Octavam, semidupl.
5 S. Laurentii Justiniani Ep. et Conf., semid. Com. Oct.
Bogotæ (in Civitate): S. Victorini Ep. et Mart., Patroni minus principalis, dupl. maj. Com. S. Laurentii Justiniani Ep. et Conf. (semidupl.) et Oct.
6 Octava S. Rosæ Virg., dupl. maj.
9 S. Petri Claver Cf., dupl. maj. Com. S. Gorgonii Mart.
16 Ss. Cornelii Papæ et Cypriani Ep., Mm., semidupl. Com. Ss. Euphemiæ et Soc. Mm.
Pasto: B. M. V. de Rupe, dupl. II classis. Com. Ss. Cornelii et Cypriani Mm. (semidupl.) ac Ss. Euphemiæ et Soc. Mm.
26 Ss. Cypriani et Justinæ Virg., Mm., simpl.
S. Marthæ: Anniversarium Dedicationis Ecclesiæ Cathedralis, dupl. I classis cum Octava communi.
27 Ss. Cosmæ et Damiani Mm., semidupl.
S. Marthæ: Com. Oct.
28 S. Wenceslai Ducis, Mart., semidupl.
S. Marthæ: Com. Oct.
30 S. Hieronymi Presb., Conf. et Eccl. Doct., dupl.
S. Marthæ: Com. Oct.

October

1 S. Remigii Ep. et Conf., simpl.
S. Marthæ: De VI die infra Octavam Dedicationis Ecclesiæ Cathedralis, semidupl. Com. S. Remigii Ep. et Conf.

2 Ss. Angelorum Custodum, dupl. maj.
S. Marthæ: Com. Oct.

3

S. Marthæ: Octava Dedicationis, dupl. maj.

5 Ss. Placidi et Soc. Mm., simpl.
In Ecclesiis consecratis *Ditionis Columbianæ*, exceptis Metropolit. et Cathedralibus: Dedicatio propriæ Ecclesiæ, dupl. I classis cum Octava communi.

6 S. Brunonis Conf., dupl.
In Ecclesiis, ut supra: Com. Oct. Dedic.

7 Sacratissimi Rosarii B. Mariæ Virg., dupl. II classis. Com. S. Marci etc. Mm.
Manizales: Patronæ principalis Diœcesis, dupl. I cl. cum Octava communi.

8 S. Birgittæ Viduæ, dupl.
In Ecclesiis, ut supra: Com. Oct. Dedic.
Manizales: Com. Oct. sacratissimi Rosarii.

9 Ss. Dionysii etc. Mm., semidupl.
In Ecclesiis, ut supra: Com. Oct. Dedic.
Manizales: Com. Oct. sacratissimi Rosarii.

10 S. Ludovici Bertrandi Conf., Patroni principalis Ditionis Columbianæ, dupl. I classis cum Octava comm. Com. S. Francisci Borgiæ Conf. (semid.).

11 De II die infra Octavam, semidupl.
Manizales: De V die infra Octavam sacratissimi Rosarii, semidupl. Com. Oct. S. Ludovici.
In Ecclesiis, ut supra: Com. Oct. Dedic.

12 De III die infra Octavam, semidupl.
Manizales: De VI die infra Octavam sacratissimi Rosarii, semidupl. Com. Oct. S. Ludovici.
In Ecclesiis, ut supra: Octava Dedicationis, dupl. maj. Com. Oct. S. Ludovici.

13 S. Eduardi Regis, Conf. semidupl., Com. Oct.
Manizales: Com. Oct. sacratissimi Rosarii, et Oct. S. Ludovici.

14 S. Callisti I Papæ et Mart., dupl. Com. Oct.
Manizales: Octava sacratissimi Rosarii, dupl. maj. Com. Oct. S. Ludovici.

15 S. Teresiæ Virg., dupl. Com. Oct.

16 De VII die infra Octavam S. Ludovici, semidupl.
17 Octava S. Ludovici, dupl. maj. Com. S. Hedwigis Viduæ (semidupl.).
27 Vigilia.
Tunquæ: Anniversarium Dedicationis Ecclesiæ Cathedralis, dupl. I classis cum Octava communi.
29
Tunquæ: De III die infra Octavam, semidupl.
30
Tunquæ: De IV die infra Octavam, semidupl.
31 Vigilia.
Tunquæ: De V die infra Oct., semid. Com. Vigiliæ.

November

3 B. Martini de Porres Conf., dupl. Com. Oct.
Tunquæ: Octava Dedicationis, duplex majus Com. B. Martini de Porres Conf. et Oct. Oo. Ss.
18 Dedicatio Basilicarum Ss. Petri et Pauli App., duplex majus.
Neo-Carthagenæ et Medellii: Anniversarium Dedicat. Eccl. Cathedralis, dupl. I cl. cum Oct. communi.
19 S. Elisabeth Vid., dupl. Com. S. Pontiani Papæ et Mart
Bogotæ: Patronæ principalis Archidiœcesis, dupl. I cl. cum Octava communi.
Neo-Carthagenæ et Medellii: Com. Oct. et S. Pontiani Papæ et Mart.
20 S. Felicis de Valois Conf., dupl.
Bogotæ: Com. Oct. S. Elisabeth.
Neo-Carthagenæ et Medellii: Com. Oct.
21 Præsentatio B. Mariæ Virg., dupl. maj.
Bogotæ: Com. Oct. S. Elisabeth.
Neo-Carthagenæ et Medellii: Com Oct.
22 S. Cæciliæ Virg. et Mart., dupl.
Bogotæ: Com. Oct. S. Elisabeth.
Neo-Carthagenæ et Medellii: Com. Oct.
23 S. Clementis I Papæ et Mart., dupl. Com. S. Felicitatis Mart.
Bogotæ: Com. Oct. et S. Felicitatis Mart.
Neo-Carthagenæ et Medellii: Com. Oct. et S. Felicitatis Mart.
24 S. Joannis a Cruce Conf., dupl. Com. S. Chrysogoni, Mart.
Bogotæ: Com. Oct. et S. Chrysogoni Mart.
Neo-Carthagenæ et Medellii: Com. Oct. et S. Chrysogoni Mart.

25 S. Catharinæ Virg. et Mart., dupl.
Bogotæ: Com. Oct. et S. Elisabeth.
Neo-Carthagenæ: S. Catharinæ Virg. et Mart., Patr princ. Archid., dupl. I cl. cum Oct. communi. Com. diei Oct. Dedicat. Eccl. Cathedr. (dupl. maj.).
Medellii: Octava Dedic. Eccl. Cathedr., dupl. maj. Com. S. Catharinæ Virg. et Mart. (dupl.).
26 S. Silvestri Abb., dupl. Com. S. Petri Alexandrini Ep. et Mart.
Bogotæ: Oct. S. Elisabeth Vid., dupl. maj. Com. S. Silvestri Abb. (dupl.) et S Petri Alexandr. Ep. et Mart.
Neo-Carthagenæ: Com. Oct. S. Catharinæ et S. Petri Alexandrini Ep. et Mart.
27
Neo-Carthagenæ: De III die infra Octavam S. Catharinæ Virg. et Mart., semidupl.
28
Neo-Carthagenæ: De IV die infra Octavam, semidupl.
29 Vigilia. Com. S. Saturnini Mart.
Neo-Carthagenæ: De V die infra Octavam, semidupl. Com. Vigiliæ et S. Saturnini Mart.

December

1
Neo-Carthagenæ: De VII die infra Octavam, semidupl.
2 S. Bibianæ Virg. et Mart., semidupl.
Neo-Carthagenæ: Octava S. Catharinæ Virg. et Mart., dupl. maj. Com. S. Bibianæ Virg. et Mart. (semid.).

ARCHIDIŒCESIUM ET DIŒCESIUM DITIONIS COLUMBIANÆ

Præsens Kalendarium, juxta Rubricas et Decreta novissima redactum, Sacra Rituum Congregatio, vigore facultatum sibi specialiter a Sanctissimo Domino nostro Pio Papa X tributarum, revisione rite peracta, recognovit ac probavit, illudque in cunctis Ditionis Columbianæ Archidiœcesibus et Diœcesibus adhiberi mandavit; servatis de cetero Rubricis et Decretis, præsertim quoad Festa Dedicationis et Titularis Ecclesiarum nec non Patronorum cujusque loci. Contrariis non obstantibus quibuscumque.

Die 6 Februarii 1914.

(L. S.) † PETRUS LA FONTAINE Ep. Charystien.
Secretarius.

OFFICIA PROPRIA
DITIONIS COLUMBIANÆ

Pars Autumnalis

Die 30 Augusti

S. ROSÆ LIMANÆ

Virginis

Patr. præcipuæ Americ.

Duplex I classis cum Octava communi

Omnia ut in Comm. Virginum et in Proprio Sanctorum.

In I Noct. Lectiones **De virginibus,**

Omittitur Com. ac Lectio ix Ss. Felicis et Adaucti Mm.

In Vesp. Com. seq.

—✳—

Die 1 Septembris

De III die infra Oct. S. ROSÆ LIMANÆ

Semiduplex

Ant. **Veni, sponsa.**
℣. **Spécie.**
Oratio **Bonórum.**

Deinde Com. S. Ægidii Abb.: Ant. **Similábo,** ℣. **Amávit**, Oratio **Intercéssio**, de Communi.

Postea Com. sanctorum Duodecim Fratrum Mm.: Ant. **Istórum,** ℣. **Lætámini,** Oratio **Fratérna.**

In II Noct. Lectiones **Quóniam hódie natális est**, de Communi Virginum.

In III Nocturno

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthæum

Lectio vii C. 25, 1-13

In illo tempore: Dixit Jesus discípulis suis parábolam hanc: Símile erit regnum cælórum decem virgínibus, quæ accipiéntes lámpades suas, exié-

runt óbviam sponso et sponsæ. Et réliqua.

De Homilía sancti Gregórii Papæ
Homilia 12 in Evang.

Notándum vero, quod omnes lámpades habent, sed omnes óleum non habent: quia plerúmque bona in se ópera cum eléctis et réprobi osténdunt: sed soli ad sponsum cum óleo véniunt, qui de his, quæ foris égerint, intus glóriam requírunt. Unde per Psalmístam quoque de sancta electórum Ecclésia dícitur: Omnis glória ejus fíliæ regis ab intus. Dormitavérunt omnes et dormiérunt. Dormíre, mori est: ante somnum vero dormitáre, est ante mortem a salúte languéscere: quia per pondus ægritúdinis pervenítur ad somnum mortis.

℟. Hæc est Virgo sápiens, quam Dóminus vigilántem invénit, quæ accéptis lampádibus sumpsit secum óleum: * Et veniénte Dómino, introívit cum eo ad núptias. ℣. Média nocte clamor factus est: Ecce sponsus venit, exíte óbviam ei. - Et veniénte.

Lectio viii

Quid est autem, quod fátuæ a prudéntibus óleum petunt, nisi quod in advéntu Júdicis, cum se intus vácuas invénerint, testimónium foris quærunt? Ac si a sua fidúcia decéptæ próximis dicant: Quia nos quasi sine ópere repélli conspícitis, dícite de nostris opéribus, quod vidístis. Unde et prudéntes per increpatiónem subdunt: Ite pótius ad vendéntes, et émite vobis. Venditóres quippe ólei, adulatóres sunt. De quo profécto óleo Psalmísta dicit: Oleum autem peccatóris non impínguet caput meum.

℟. Média nocte clamor factus est: * Ecce sponsus venit, exíte óbviam ei. ℣. Prudéntes Vírgines, aptáte vestras lámpades. - Ecce. - Glória Patri. - Ecce.

IX Lectio de S. Ægidio Abbate.

In Laud. Commemoratio S. Ægidii Abb.: Ant. Euge, ℣. Justum.

Deinde Ss. Duodecim Fratrum Mm.: Ant. **Vestri capílli,** ℣. **Exsultábunt.**

Vesperæ de sequenti, Com. præcedentis.

—✻—

Die 3 Septembris

De V die infra Oct. S. ROSÆ LIMANÆ

Semiduplex

Ant. **Veni, sponsa.**
℣. **Spécie.**
Oratio **Bonórum.**

In II Nocturno

Sermo sancti Ambrósii Epíscopi

Lib. 1 de Virg. ante med.

Lectio iv

Ego licet laudatiónem non suscéperim virginitátis, sed expressiónem; ad rem tamen pertinére árbitror, ut quæ sit ei pátria, quis auctor, appáreat. Ac prius ubi sit pátria, definiámus. Si enim ibi est pátria, ubi genitále domicílium; in cælo profécto est pátria castitátis: ítaque hic ádvena, ibi íncola est. Quid autem est cástitas virginális, nisi expers contagiónis intégritas? Atque ejus auctórem quem póssumus existimáre, nisi immaculátum Dei Fílium, cujus caro non vidit corruptiónem, divínitas non est expérta contagiónem?

℟. **Propter veritátem, et mansuetúdinem, et justítiam: * Et dedúcet te mirabíliter déxtera tua.** ℣. **Spécie tua et pulchritúdine tua inténde, próspere procéde, et regna. - Et.**

Lectio v

Vidéte ígitur, quanta virginitátis mérita sint. Christus ante vírginem, Christus ex vírgine; a Patre quidem natus ante sæcula, sed ex vírgine natus ob sæcula. Illud natúræ suæ, hoc nostræ utilitátis est. Illud erat semper, hoc esse vóluit. Spectáte áliud virginitátis méritum. Christus virgo vírginis sponsus, et si dici potest, Christus virgíneæ castitátis. Virgínitas enim Christi, non virginitátis est Christus. Virgo est ergo, quæ nupsit, virgo quæ nos suo útero portávit, virgo quæ génuit, virgo quæ próprio lacte nutrívit.

Sed jam a matre descendámus ad fílias.

℟. Dilexísti justítiam, et odísti iniquitátem: * Proptérea unxit te Deus, Deus tuus, óleo lætítiæ. ℣. Propter veritátem, et mansuetúdinem, et justítiam. - Proptérea.

Lectio vi

De virgínibus, inquit Apóstolus, præcéptum Dómini non hábeo, consílium autem do. Si Doctor géntium non hábuit, habére quis pótuit? Et præcéptum quidem non hábuit, sed hábuit exémplum: non enim imperári potest virgínitas, sed optári. Nam quæ supra nos sunt, in voto magis quam in magistério sunt. Sed volo vos, inquit, sine sollicitúdine esse: nam qui sine uxóre est, sollícitus est, quæ Dómini sunt, quómodo pláceat Deo. Et virgo cógitat, quæ Dómini sunt, ut sit sancta córpore et spíritu. Non ego quidem dissuádeo matrimónium, sed virginitátis attéxo benefícium.

℟. Afferéntur Regi virgines post eam, próximæ ejus * Afferéntur tibi in lætítia et exsultatióne. ℣. Spécie tua et pulchritúdine tua inténde, próspere procéde, et regna. - Afferéntur tibi. - Glória Patri. - Afferéntur tibi.

In III Nocturno

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthæum

Lectio vii C. 25, 1-13

In illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis parábolam hanc: Símile erit regnum cælórum decem virgínibus, quæ accipiéntes lámpades suas, exiérunt óbviam sponso et sponsæ. Et réliqua.

Homilía sancti Hierónymi Presbyteri

Lib. 4 in Matth. c. 25

Hanc parábolam quidam simplíciter in virgínibus interpretántur; quarum áliæ, juxta Apóstolum, et córpore et mente sunt vírgines, áliæ virginitátem tantum córporum reservántes, vel cétera ópera non habent propósito suo simília; vel paréntum custódia reservátæ, nihilóminus mente nup-

sérunt. Sed mihi vidétur ex superióribus álius sensus esse, qui dícitur; et non ad virginália córpora, sed ad omne hóminum genus comparátio pertinére.

℟. Hæc est Virgo sápiens, quam Dóminus vigilántem invénit, quæ accéptis lampádibus sumpsit secum óleum: * Et veniénte Dómino, introívit cum eo ad núptias. ℣. Média nocte clamor factus est: Ecce sponsus venit, exíte óbviam ei. - Et.

Lectio viii Post pauca

Qui idcírco omnes vírgines appellántur, quia gloriántur in uníus Dei notítia, et mens eórum idololatríæ túrbine non constuprátur. Oleum habent Vírgines, quæ juxta fidem, et opéribus adornántur. Non habent óleum, quæ vidéntur símili quidem fide Dóminum confitéri, sed virtútum ópera négligunt. Póssumus quinque vírgines sapiéntes et stultas quinque sensus interpretári, quorum álii festínant ad cæléstia, et supérna desíderant: álii terrénis fæcibus inhiántes, foménta non habent veritátis, quibus sua corda illúminent.

℟. Média nocte clamor factus est: * Ecce sponsus venit, exíte óbviam ei. ℣. Prudéntes Vírgines, aptáte vestras lámpades. - Ecce. - Glória Patri. - Ecce.

Lectio ix

Dicámus áliquid, quod fórsitan lectóri útile sit. Tradítio Judæórum est, Christum média nocte ventúrum in similitúdinem Ægyptii témporis, quando Pascha celebrátum est, et exterminátor venit: unde reor, et traditiónem Apostólicam permansísse, ut in die Vigiliárum Paschæ ante noctis dimídium, pópulum dimíttere non líceat, exspectántes advéntum Christi: et postquam illud tempus transiérit, securitáte præsúmpta, festum cunctos ágere diem. Tunc surrexérunt omnes vírgines illæ. Quæ lámpades suas querúntur exstíngui, osténdunt eas ex parte lucére: et tamen

non habent lumen indeficiens, nec ópera perpétua. Te Deum.

—※—

Die 4 Septembris
De VI die infra Oct. S. ROSÆ LIMANÆ

Semiduplex

In II Nocturno
Sermo sancti Máximi Epíscopi

In Natali S. Agnetis

Lectio iv

Cum in toto mundo virgíneus flos Maríæ immarcescíbiles corónas innéctat, et sceptrígeram pudóris aulam immaculáto consérvet afféctu, eoúsque intégritas perseverávit ad palmam, ut in puéllis trophæum sanctitátis arríperet, et per vestígia matris vírginis ad cæléstem thálamum perveníret. O quam imitábile virgínibus, virgo, tui amóris tradidísti exémplum! o quam sanctum pectóribus dandum virgíneis tribuísti respónsum, contemnéndo mundi divítias, exsecrándo carnis concupiscéntias, et solam Christi pulchritúdinem adamándo! Accédite ad puéllam puéllæ, et díscite quales in péctore suo circa amórem Christi flammas accéndit. Díscite, vírgines Christi, amórem in ea fervéntem, et omnes mundi divítias velut stércora recusántem.

℟. Propter veritátem, et mansuetúdinem, et justítiam: * Et dedúcet te mirabíliter déxtera tua. ℣. Spécie tua et pulchritúdine tua inténde, próspere procéde, et regna. - Et.

Lectio v

Ideo enim sanctórum per lítteras tradúntur exémpla, ut unusquísque pro qualitáte sexus modum sui propósiti téneat; et sicut per vírginem vírgines, ita per cónjugem cónjuges víncere sæculum pro Christi amóre stúdeant; ac repugnatióne ánimi mundi dúlcia recusántes, et ejus non recusántes austéra, ad delectatiónes perpétuas et ad gáudia ætérna pertíngant. Hæc dicéntes, non vituperámus cónjugum casta commércia, sed vírginum perseverántiam a-

dornámus. Non enim virgínitas malis rebus superponénda est, sed est rebus óptimis præferénda. Quæ enim mundis múndior, et sanctis est sánctior, non índiget malárum rerum vituperatióne laudári.

℟. Dilexísti justítiam, et odísti iniquitátem: * Proptérea unxit te Deus, Deus tuus, óleo lætítiæ. ℣. Propter veritátem, et mansuetúdinem, et justítiam. - Proptérea.

Lectio vi

Veni jam, virgo, ad thálamum quem quæsísti, ut sponsam te virgínitas immaculáta cómprobet Christi. Felix catérva vírginum, quibus stúdium est tuæ sequi confessiónis vestígia. Habébunt enim tecum corónam in cælo, quæ tecum superavérunt inimícum in mundo. Nam sicut tibi vestígia prosequénti participátio ætérnæ remuneratiónis appáruit; ita eis te imitántibus ætérna crédimus gáudia non negánda. Itaque, o spléndida Christo Dei Fílio, et ómnibus Angelis atque Archángelis grata, ut nostri meminísse dignéris, quibus póssumus précibus exorámus; ut nobis ille tríbuat indulgéntiam, qui tibi tuórum ómnium labórum trádidit palmam.

℟. Afferéntur Regi vírgines post eam, próximæ ejus * Afferéntur tibi in lætítia et exsultatióne. ℣. Spécie tua et pulchritúdine tua inténde, próspere procéde, et regna. - Afferéntur tibi. - Glória Patri. - Afferéntur tibi.

In III Nocturno

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthæum

Lectio vii C. 25, 1-13

In illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis parábolam hanc: Símile erit regnum cælórum decem virgínibus, quæ accipiéntes lámpades suas, exiérunt óbviam sponso et sponsæ. Et réliqua.

Homilía sancti Joánnis Chrysóstomi

Homilia 79 in Matth. post init.

Quam ob causam in persóna vírginum

hanc parábolam profert, nec qualemcúmque persónam sine discrímine súbjicit? Magna quædam de virginitáte disserúerat, dicens : Sunt eunúchi, qui seípsos castravérunt propter regnum cælórum: et, Qui potest cápere, cápiat. Nec ignorábat, de virginitáte magnam esse vulgo existimatiónem, quippe cum sit ea res natúra sublímis: quod inde patet, quia neque in véteri Testaménto a priscis illis sanctísque viris culta fuit, et in novo nulla legis necessitáte jubétur : non enim id imperávit, sed fidélium voluntáti permísit. Unde et Paulus ait: De virgínibus autem præcéptum Dómini non hábeo ; et laudo quidem eum, qui hoc sectátur institútum, noléntem autem non cogo, neque eam rem præcéptum fácio.

℟. Hæc est Virgo sápiens, quam Dóminus vigilántem invénit, quæ accéptis lampádibus sumpsit secum óleum: * Et veniénte Dómino, introívit cum eo ad núptias. ℣. Média nocte clamor factus est: Ecce sponsus venit, exíte óbviam ei. - Et.

Lectio viii

Quóniam ígitur et magna res erat, ac de ea apud multos magna erat existimátio; ne quis ea perfécta se totum perfecísse putáret, ac cétera neglígeret, hanc parábolam pósuit, ut osténderet, virginitátem, quamvis cétera hábeat, si misericórdiæ bonis carúerit, cum fornicatóribus éjici. Ac mérito quidem inhumánum ac misericórdia caréntem cum illis cóllocat. Fornicátor enim córporum, istæ vero pecuniárum cupiditáte vincúntur. Non est autem córporum, et pecúniæ par cupíditas: sed ácrior multo atque veheméntior illa córporum est. Quanto ígitur cum imbecillióre luctántur, tanto minus vénia dignæ sunt, si vincántur. Idcírco étiam fátuas appellávit: quóniam majóri certámine superáto, in facilióre totum perdidérunt.

℟. **Média nocte clamor factus est: * Ecce sponsus venit, exíte óbviam ei. ℣. Prudéntes Vírgines, aptáte vestras lámpades. - Ecce. - Glória Patri. - Ecce.**

Lectio ix

Lámpades autem hoc loco illud ipsum virginitátis donum appéllat, et sanctimóniæ puritátem: óleum vero benignitátem, eleemósynam, impénsum indigéntibus auxílium. Tardánte autem sponso, dormitavérunt omnes et dormiérunt. Non parvum témporis rursus spátium interjéctum osténdit, ut discípulos regnum ipsíus mox futúrum exspectántes, ab ea opinióne dedúceret: id enim illi sperábant; quaprópter crebro ab hujúsmodi eos spe révocat. Ad hoc, illud quoque indicat; somnum quemdam esse mortem. Dormiérunt, inquit; média autem nocte clamor factus est: vel, ut in eádem parábola persístat: vel rursus osténdit, in nocte futúram esse resurrectiónem. Clamórem étiam Paulus commémorat, dicens: In jussu, in voce Archángeli, in novíssima tuba descéndet de cælo.

Te Deum laudámus.

Vesp. de seq. Com. præced.

Bogotæ (in Civitate): Vesp. de seq. Com. præced. ac S. Laurentii Justiniani Ep. et Conf.

—⁂—

Die 5 Septembris

Bogotæ (in Civitate):

S. VICTORINI

Episc. et Mart.

Patron. minus princ.

Duplex majus

Oratio **Deus, qui nos,** de Comm. un. Mart.

Et fit Com. præced. diei infra Oct. S. Rosæ Limanæ: Ant. **Veni, sponsa,** ℣ **Diffúsa,** Oratio **Bonórum.**

Deinde Com. S. Laurentii Justiniani: Ant. **Sacérdos et Póntifex,** ℣. **Amávit,** Oratio **Da, quæsumus,** de Comm. Conf. Pont.

In II Noct. Lectiones **Príncipes persecúti,** de Communi unius Mart. 2 loco.

In III Noct. Homilia in Evang. **Si quis vult,** de eod. Comm. 2 loco.

Pro S. Laurentio Justiniani:

Lectio ix

Lauréntius, ex illústri Justinianórum família Venétiis natus, miro affligéndi córporis stúdio ab adolescéntia cláruit, et mundi illécebris paratísque a matre núptiis spretis, in congregatiónem canonicórum sancti Geórgii in Alga recéptus est. Ab Eugénio quarto pátriæ epíscopus renuntiátus, consuéta vivéndi forma nihil ádmodum immutáta, páuperum necessitátes subleváre, étiam ære se aliéno gravans, numquam déstitit, divínæ fidens Providéntiæ, quæ inopinátis subsídiis illi semper ádfuit. Plura vírginum monastéria excitávit, vel ad perfectióris vitæ normas compósuit. Christiánæ humilitátis exémplar exímium, ecclesiásticæ disciplínæ ac móribus reformándis maximópere stúduit, dignus qui a summis Pontifícibus glória præsulum vocarétur, et primus Venetiárum patriárcha, e Gradénsi civitáte transláto título, renuntiarétur. Lacrimárum, prophetíæ, et curatiónum dono insígnis, libros étiam cæléstí doctrína ac pietáte conspícuos, grammáticæ pene rudis, conscrípsit. Obdormívit in Dómino die octáva Januárii. Ejus vero festum hac die recólitur, qua vir Dei ad episcopálem cáthedram evéctus est.

Te Deum laudámus.

Ad Laud. fit Com. S. Laurentii Justiniani: Ant. **Euge**, ℣. **Justum.**

Deinde Com. Octavæ S. Rosæ Limanæ: Ant. **Símile est**, ℣. **Diffúsa.**

Vesp. de seq. Com. præced.:

—⁕—

Die 6 Septembris

In Octava

S. ROSÆ LIMANÆ

Duplex majus

Et fit Com. præced.: Ant. **Amávit**, ℣. **Justum**, Oratio **Da quæsumus.**

Bogotæ (in Civitate).: Et fit Com. præced.: Ant. **Qui vult**, ℣. Ju-

stus, Oratio Deus, qui nos.

Deinde Com. S. Laurentii: Ant., ℣. et Oratio, ut supra.

In II Nocturno

Ex actis et bulla Beatific.

Lectio iv

Injúrias, et derisiónes a quocúmque illátas beáta Rosa non solum æquanímiter, et cum gáudio excipiébat, sed, multo majóribus se dignam exístimans, culpas, quæ sibi imputabántur, extóllere et amplificáre solébat, ac si rea ómnium críminum foret, et ab ómnibus déspici atque afflígi mererétur. Nihil autem moléstius ferébat, quam próprias laudes, quas non solum innáta sibi modéstia, animíque demissióne, tamquam indébitas, respuébat, sed iis audítis, quasi acutíssimo gládio transverberáta, místero ejulátu, ac lácrimis se gravíssime torquéri indicábat. Si qua advérsitas, si qua calámitas domi vel foris contingébat, hanc illa suis delíctis sério adscribébat, et se ómnium infelicíssimam peccatrícem íntimo cordis afféctu réputans, hoc ítidem ab áliis credi, ánxie desiderábat.

℟. Propter veritátem, et mansuetúdinem, et justítiam:* Et dedúcet te mirabíliter déxtera tua. ℣. Spécie tua et pulchritúdine tua inténde, próspere procéde, et regna. - Et.

Lectio v

Morbos celábat, quibus assídue vexabátur, ne sibi remédia, vel solátia adhiberéntur. Noctúrno témpore, nec áeris intempériem timens, nec frígoris asperitátem, sæpe per hortum longam, magníque pónderis crucem húmeris ferens, nudis pédibus ambulábat. Vita Vírginis Rosæ contínuum martyrium, eo atrócius, quo magis prolíxum fuit. Quod si aliquándo superiórum império acérrimas sui castigatiónes, aut intermíttere, aut moderári cogebátur, illórum præcépto statim obédiens, ália sibi torménta inferé-

bat, iis excogitándis ingeniósa, in tolerándis constantíssima.

℟. Dilexísti justítiam, et odísti iniquitátem: * Proptérea unxit te Deus, Deus tuus, óleo lætítiæ. ℣. Propter veritátem, et mansuetúdinem, et justítiam. - Proptérea.

Lectio vi

Cilícium nacta, ex acútis equórum setis dense contéxtum, et infra génua proténsum, infíxis ácubus, diu gestávit, donec jussa illud depónere, saccum villósum, et crassum pro indúsio índuit, cujus póndere, et scabrítie graváta, ad síngulos membrórum motus incredíbili dolóre angebátur. Ut læsi Núminis iram placáret, pœnas, peccatóribus infligéndas, ab innóxio suo córpore exigébat, se flagéllis diríssime cædens, ut illis misericórdiam impetráret. Ne vero pédibus, ad quos nec cilícium, nec vérbera pertingébant, suum deésset supplícium, eos nudos succénsi clíbani flammis exponébat, et inde erumpénte ardóris vi sævíssime excruciábat, ádeo, ut in ea a planta pedis usque ad vérticem cápitis nihil a pœnis vacáret.

℟. Afferéntur Regi vírgines post eam, próximæ ejus * Afferéntur tibi in lætítia et exsultatióne. ℣. Spécie tua et pulchritúdine tua inténde, próspere procéde, et regna. - Afferéntur tibi. - Glória Patri. - Afferéntur tibi.

In III Nocturno

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthæum

Lectio vii C. 25, 1-13

In illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis parábolam hanc: Símile erit regnum cælórum decem virgínibus: quæ accipiéntes lámpades suas, exiérunt óbviam sponso et sponsæ. Et réliqua.

De Homilía sancti Augustíni Epíscopi

Sermo 23 de Verbis Domini, cap. 8

Inténdat ítaque cáritas vestra. Sapiéntium lámpades ardébant de óleo ætérno, de consciéntiæ securi-

táte, de interióre glória, de íntima caritáte. Ardébant tamen et illárum fatuárum. Quare tunc ardébant? quia non déerant laudes hóminum. Póstea vero quam surrexérunt, idest in resurrectióne a mórtuis, cœpérunt aptáre lámpades suas, idest paráre, Deo óperum suórum réddere ratiónem. Et quia tunc nemo est qui laudet, omnis homo causæ suæ vacat: non erant qui óleum vénderent, cœpérunt defícere lámpades.

℟. Hæc est Virgo sápiens, quam Dóminus vigilántem invénit, quæ accéptis lampádibus sumpsit secum óleum: * Et veniénte Dómino, introívit cum eo ad núptias. ℣. Média nocte clamor factus est: Ecce sponsus venit, exíte óbviam ei. - Et veniénte.

Lectio viii

Circa finem, cap. 10

Clausum est óstium. Et quid illis dictum est: Non novi vos. Non illas novit, qui ómnia novit? Quid ergo est: Non novi vos? Improbo vos, réprobo vos: in arte mea non vos agnósco: ars mea nescit vítia. Hoc est autem magnum, et nescit vítia, et júdicat vítia: nescit faciéndo, júdicat arguéndo. Sic ergo non novi vos. Iérunt, intravérunt quinque prudéntes. Sint in vobis quinque prudéntes, ad istam prudéntiam quinárii númeri pertinéntes. Véniet enim hora, et quando nescímus, véniet. Sic clausit Evangélium: Vigiláte, quia nescítis diem neque horam.

℟. Média nocte clamor factus est: * Ecce sponsus venit, exíte óbviam ei. ℣. Prudéntes Vírgines aptáte vestras lámpades. - Ecce. - Glória Patri. - Ecce.

Lectio ix

Corde vígila, fide vígila, spe vígila, caritáte vígila, opéribus vígila: et quando córpore dormíeris, véniet tempus ut surgas. Cum autem surréxeris, præpara lámpades. Tunc non exstinguántur; tunc in interióre consciéntiæ óleo vegeténtur; tunc sponsus ille

incorpóreis néxibus amplectátur; tunc te introdúcat in domum, ubi numquam dórmias, ubi numquam possit tua lampas exstíngui. Hódie vero laborámus, et lámpades nostræ inter ventos sæculi hujus tentationésque flúctuant: sed árdeat in rubóre flamma nostra, ut ventus tentatiónis áugeat ignem pótius, quam exstínguat.

Te Deum laudámus.

—⁂—

Die 9 Septembris
(d. a. ex 8 huj.)

S. PETRI CLAVER
Confessoris

Duplex (m. t. v.)

Oratio

Deus, qui abréptos in servitútem Nigrítas ad agnitiónem tui nóminis vocatúrus, beátum Petrum mira in eis juvándis caritáte et patiéntia roborásti: ejus nobis intercessióne concéde; ut quæ Jesu Christi sunt quæréntes, próximos ópere et veritáte diligámus. Per eúmdem Dóminum nostrum.

In II Nocturno
Lectio iv

Petrus Claver Hispánus Verdúni natus, óppido Cataláuniæ, Societáti Jesu nomen dedit adoléscens móribus innocentíssimis. Tirocínio ad exémplum functus ac lítteris humanióribus excúltus in Baleárium máximam trajécit philosóphiæ óperam datúrus. Ibi Alphónso Rodríguez, qui multa de futúro ejus apostolátu atque amplíssimo in cælis præmio divínitus accéperat, pia necessitúdine conjúnctus, sublimióris ab eo virtútis arcána paratósque sibi labóres edóctus est. Inde revocátus, theológiæ currículum Barcinóne íniit, sed áltero anno transmíttere jussus in Américam, abrúptum studiórum cursum in urbe Sanctæ Fídei Bogoténsi confécit. Póstea Carthágínem ad oram maris atlántici, quo primum appúlerat, revérsus, et sacerdótio auctus, Nigrítis turpi mercátu illuc abdúctis vitam su-

am, interpósita sacraménti fide, plane devóvit. In his autem doctrína christiána imbuéndis dici vix potest, quanta patiéntia et caritáte annos ámplius quadragínta insudáverit.

℟. Honéstum fecit illum Dóminus, et custodívit eum ab inimícis, et a seductóribus tutávit illum: * Et dedit illi claritátem ætérnam. ℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas, et osténdit illi regnum Dei. - Et dedit.

Lectio v

Non eórum ánimis solum, sed et corpóribus opitulabátur assídue. Ut naves eísdem onústæ ad empórium illud appellébant, præsto áderat Petrus, hominésque miséria conféctos, ceu pater fílios, peramánter compléctens, nudis induménta, esuriéntibus escam, ægris medicámina suppeditábat. Lue pestífera vel áliis morbis inféctos, nihil de seipso sollícitus, cura et ope levábat peculiári, visus haud raro pútrida eórum úlcera, nauseánte nequídquam natúra, tractáre studiósius, exímiis inde charísmatis a Deo dignátus. Quamplúres a médicis desperátos súbito sanitáti restítuit, multis oculórum lúmine captis visum réddidit, tres a mórtuis excitávit. Pállium suum quod ægris impónere vel substérnere solébat, ulceratórum sórdibus utcúmque inquinátum, odórem non efflábat nisi suavíssimum, ejúsque contáctu plures tetérrime ægrotántes repénte convaluérunt.

℟. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum: stolam glóriæ induit eum, * Et ad portas paradísi coronávit eum. ℣. Induit eum Dóminus loricam fídei, et ornávit eum. - Et.

Lectio vi

Quod a Nigritárum cura sibi supérerat témporis, juvándis hæréticis ac mahumetánis, nedum cívibus advenísque cathólicis, impertiébat. Post diúrnos labóres, oratióni in seram noctem instá-

bat. Omnibus benígnus, in se unum erat immítis ex caritáte in próximos. Domi foríisque in honóre hábitus numquam éxtulit ánimum: ódia vero et convícia improbórum immóta fortitúdine tolerábat. Qua erat vitæ severitáte, castimóniam ad túmulum usque servávit illibátam. His excéllens méritis annos expléverat quátuor et septuagínta, quum die natáli Deíparæ, quam tenérrimo colúerat afféctu, ad Cælites migrávit. Vir sane dignus, quem Patres Tarraconénses in epístola synódica ad Benedíctum tértium décimum laudárent uti álterum Xavérium. In Beatórum album a Pio nono relátum, Leo décimus tértius novis miráculis refulgéntem Cælitum Sanctórum fastis ascrípsit, Africa jam tum látius reclúdi cœpta Evangélio. Dénique instántibus plúrimis viris ecclesiásticis, præsértim Epíscopis constitútis apud Nigrítas per orbem terrárum disseminátos, idem Póntifex Máximus Patrónum cæléstem peculiárem sacrárum ad Nigrítas missiónum, e Sacræ Rítuum Congregatiónis consúlto, auctoritáte sua supréma eúmdem sanctum Petrum Claver constítuit atque declarávit.

℟. Iste homo perfécit ómnia quæ locútus est ei Deus, et dixit ad eum: Ingrédere in réquiem meam: * Quia te vidi justum coram me ex ómnibus géntibus. ℣. Iste est, qui contémpsit vitam mundi, et pervénit ad cæléstia regna. - Quia. - Glória Patri. - Quia.

In III Nocturno

Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam

Lectio vii C. 10, 29-37

In illo témpore: Legisperítus quidam volens justificáre seípsum, dixit ad Jesum: Et quis est meus próximus? Et réliqua.

Homilía sancti Joánnis Chrysóstomi

Hom. 8 adv. Judæos

Imitáre Samaritánum illum qui in Evan-

gélio tantam erga vulnerátum præstitit sollicitúdinem. Etenim illic prætériit Levíta, prætériit Pharisæus, ac neuter defléxit ad jacéntem; sed incleménter crudelitérque relícto illo abiérunt. Samaritánus autem, qui nulla ex parte illi conjúnctus erat, non prætercúrrit: sed occúrrens misértus est, instillávit óleum et vinum, impósuit ásino, duxit ad diversórium, pecúniam partim dedit, partim pollícitus est, pro ejus, qui nihil ad ipsum pertinébat, curatióne. Si Samaritánus ádeo humánus mitísque fuit erga hóminem ignótum, quam habitúri sumus nos véniam, si próprios fratres neglexérimus in malis gravióribus? Ne ígitur dissimulémus, neque incleménter prætereámus; quin etiámsi álii hoc fécerint, cave tu ne idem fácias.

℟. Iste est, qui ante Deum magnas virtútes operátus est, et de omni corde suo laudávit Dóminum: * Ipse intercédat pro peccátis ómnium populórum. ℣. Ecce homo sine queréla, verus Dei cultor, ábstinens se ab omni ópere malo, et pérmanens in innocéntia sua. - Ipse.

Lectio viii

Neque enim Samaritánus ille dicébat: Ubi nunc sacerdótes, ubi nunc pharisæi, ubi nunc Judæórum doctóres? Sed perínde ac venátum quemdam máximum nactus esset, ita lucrándi ansam arrípuit. Et tu ergo cum víderis álium egéntem curatióne vel córporis vel ánimæ, ne dicas apud temetípsum: Quare ille et ille eum non curavérunt? sed illum tu a morbo líbera, nec rationes negligéntiæ ab illis éxigas. Si aurum jacens invénias, num dicis apud temetípsum: Quare ille aut ille non sustulérunt? et non festínas ante álios rápere? Itidem et de frátribus collápsis cógita putatóque thesáurum te reperísse, nimírum curam illórum. ¶ Etenim si instilláveris

cuípiam, velut óleum, doctrínam sermónis, si ligáveris eum mansuetúdine, si sanáveris toleràntia, ille te fáciet ditiórem quovis thesáuro. Qui enim separáverit pretiósum a vili, tamquam os meum erit, inquit Deus. Quid huic bono póterit æquiparári? Quod neque jejúnium, neque humicubatiónes, neque pervigília, neque áliud quídpiam potest effícere, id éfficit fratris procuráta salus.

℞. Sint lumbi vestri præcíncti, et lucérnæ ardéntes in mánibus vestris: * Et vos símiles homínibus exspectántibus dóminum suum, quando revertátur a núptiis. ℣. Vigiláte ergo, quia nescítis qua hora Dóminus vester ventúrus sit. - Et. - Glória Patri. - Et.

Lectio ix de S. Gorgonio Martyre et fit ejus Commemoratio in Laudibus:

Ant. **Qui odit.**
℣. **Justus.**
Oratio **Sanctus tuus.**

—*—

Die 16 Septembris

Pasto :

B. M. V. DE RUPE

Dupl. II classis

Omnia de Communi Festorum B. M. V.

In II Vesp. præced. Festi Septem Dolorum B. M. V. fit tantum Com. Ss. Cornelii Papæ et Cypriani Ep., Mm.: Ant. **Istórum,** ℣. **Lætámini,** Oratio **Beatórum.**

In Feria IV Quatuor Temporum ix Lectio de Homilia Feriæ; alias

Pro Ss. Cornelio et Cypriano Mm.:

Lectio ix

Cornélius Románus, Gallo et Volusiáno imperatóribus pontificátum gerens, Novatiáni schísmati fórtiter réstitit, plúraque de lapsis magna caritáte conscrípsit: ad quem octo sancti Cypriáni exstant epístolæ. In exsílio, ad Centumcéllas, ærúmnis conféctus, martyr óbiit. Cypriánus Afer, primum glorióse rhetóricam dócuit; exínde, suadénte presbytero Cæcílio, a quo et cognoméntum sortítus est, christiánus factus, om-

nem substántiam suam paupéribus erogávit, ac post non multum témporis eléctus in presbyterum, étiam episcopus Carthaginiénsis constitútus est. Et ipse in schismate Nováti plura pérferens, damna Ecclésiæ illáta reparáre omni ope conátus est: hujus vero ingénii supérfluum est índicem téxere, cum sole clarióra sint ejus ópera. Passus est sub Valeriáno et Galliéno princípibus, persecutióne octáva.

Te Deum laudámus.

Ad Laudes fit Com. Ss. Cornelii et Cypriani: Ant. **Vestri capílli,** ℣. **Exsultábunt.**

Deinde post Com. Fer. in Quatuor Temp., Com. Ss. Euphemiæ et Soc. Mm.: Ant. **Istórum,** ℣. **Lætámini,** Oratio **Præsta, Dómine.**

—✻—

Die 26 Septembris

In Diœcesi S. Marthæ:

In DEDICATIONE ECCL. CATHEDRALIS

Duplex I cl. cum Oct. communi

Omnia ut in Comm. Dedicationis Ecclesiæ.

In II Vesperis Commemoratio sequentis.

¶ Infra Oct. et in die Octava Antiphonæ et Psalmi ad omnes Horas et Versus Nocturnorum de occurrenti Hebdomadæ die, ut in Psalterio, reliqua de Communi Dedicationis Ecclesiæ, præter Lectiones, quæ in I Nocturno dicuntur de Scriptura occurrenti cum suis Responsoriis de Tempore, in II et III pro singulis diebus assignantur propriæ in eodem Communi.

—✻—

Die 1 Octobris

In Diœcesi S. Marthæ:

De VI die infra Oct. DEDICATIONIS ECCL. CATHEDRALIS

Semiduplex

Ut in Comm. Dedic. Eccl. in die Festo et in VI die infra Octavam.

Ant. **Sanctificávit,** ℣. **Hæc est,** Oratio **Deus, qui nobis.**

Deinde Com. S. Remigii Ep. et Conf.: Ant. **Sacérdos,** ℣. **Amávit,** Oratio **Da, quæsumus** de Comm. Confessoris Pontificis.

IX Lectio de S. Remigio, et fit ejus Com. in Laudibus: Ant. **Euge,** ℣. **Justum.**

Vesp. de seq. Com. præced. diei infra Oct.

—✳—

Die 3 Octobris

In Diœcesi S. Marthæ:

In Octava DEDICATIONIS ECCL. CATHEDRALIS

Duplex majus

Ut in Comm. Dedic. Eccl. in die Festo et in die Octava.

In I Vesp. fit Com. præc.: Ant. **Sancti Angeli,** ℣. **In conspéctu,** Oratio **Deus, qui ineffábili.**

In II Vesp. Com. seq.

—✳—

Die 5 Octobris

In Ecclesiis consecratis Ditionis Columbianæ exceptis Metropolitanis et Cathedralibus

In DEDICATIONE PROPRIÆ ECCLESIÆ

Duplex I cl. cum Oct. communi

Omnia ut in Comm. Dedicationis Ecclesiæ.

In II Vesp. fit Com. seq.: Ant. **Similábo,** ℣. **Amávit,** Oratio **Sancti Brunónis.**

Die 7 Octobris

Manizales:

In Solemnitate Sacratissimi ROSARII B. M. V.

Patr. princ. Diœc.

Dupl. I class. cum. Oct. communi

Omnia ut in Brev. omissis Commem. in I Vesp. et Laud.

In II Vesp. Com. seq.

¶ Infra Oct. et in die Octava Antiphonæ et Psalmi ad omnes Horas et Versus Nocturnorum de occurrenti Hebdomadæ die, ut in Psalterio; reliqua ut in die Festo, præter Lectiones, quæ in I Nocturno dicuntur de Scriptura occurrenti cum suis Responsoriis de Tempore, in II et III pro singulis diebus assignantur propriæ, ut infra.

—✳—

Die 10 Octobris

S. LUDOVICI BERTRANDI Conf.

Patr. Princip. Ditionis

Dupl. I class. cum Oct. communi

Omnia de Communi Conf. non Pont. præter sequentia.

Oratio

Deus, qui beátum Ludovícum Confessórem tuum per córporis mortificatiónem et fídei præcónium, Sanctórum glóriæ coæquásti: præsta, ut, quod fide profitémur, pietátis opéribus júgiter impleámus. Per Dóminum.

In I Noct. Lectiones Beátus vir, de eodem Comm. 1 loco.

In II Nocturno

Lectio iv

Ludovícus Bertrándus, Valéntiæ in Hispánia Tarraconénsi, honéstis piísque paréntibus natus, ab ipsa pene infántia sanctitátis ac pœniténtiæ tirocínium inchoávit. Exácta pueritia intérdum nuda cubábat humo, noctes sæpe ducébat insómnes, ac in pietátis et caritátis offícia sédulus incumbébat. Mundi contémptu, ac religiósæ vitæ ardóre succénsus, paréntum artes, quibus eum a sancto propósito dimovére conabántur, mira constántia superávit. Sui tandem voti compos efféctus, Prædicatórum órdini nomen dedit, ubi brevi tantum profécit, ut vel provectióribus ipsis, quamvis tiro, fúerit exémplo. Emíssa professióne, mirum quot et quantis virtútum increméntis priórem vitæ ratiónem cumulárit. Jejúniis, flagéllis, cilíciis, vigiliísque carnem domans, mentem jugi oratiónis pábulo nutriébat, ex quo tantum intérnæ ánimi modéstiæ ac puritátis hauriébat, ut vel in ejus óculis, ac vultu apparéret.

℟. Honéstum fecit illum Dóminus, et custodívit eum ab inimícis, et a seductóribus tutávit illum: * Et dedit illi claritátem ætérnam. ℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas, et osténdit illi regnum Dei. - Et dedit.

Lectio v

Adhuc júvenis novitiórum præféctus institútus, eos ad omnem verbo et exémplo sanctimóniam efformábat. Ad occidentáles Indos evangélicus prædicátor missus, quam-

vis uno tantum Hispánico uterétur idiómate, eum tamen divérsæ, atque inter se dissitæ natiónes, sua véluti loquéntem lingua, síngulæ audiébant, ex quibus innúmeros ad christiánam fidem addúxit: ibíque venénum non semel sibi a bárbaris propinátum innóxie hausit. Públicam vitiórum objurgatiónem, tamquam in se unum diréctam nóbilis quidam ultúrus, mortem Ludovíco inténtat, cum strictus in eum sclopus in Crucifíxi formam repénte convértitur. Quo miráculo nefárius aggréssor permótus, ad sancti viri pedes provolútus, tanti facínoris véniam eníxe deprecátur.

℟. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum: Stolam glóriæ índuit eum, * Et ad portas paradísi coronávit eum. ℣. Induit eum Dóminus lorícam fídei, et ornávit eum. - Et ad portas.

Lectio vi

Humilitáte ac patiéntia insígnis, illud idéntidem usurpábat: Dómine, hic ure, hic seca, hic non parcas, ut in ætérnum parcas. Prophético afflátus spíritu multa prædíxit. Ignem signo crucis exstínxit, tempestátem sedávit, ferárum ímpetus cohíbuit, mórtuis vitam, cæcis visum, claudis gressum, surdis réddidit audítum. Tandem durióris pœniténtiæ labóribus fractus, in morbum íncidit, sacrísque mystériis rite expiátus, migrávit in cælum, séptimo Idus Octóbris, anno millésimo quingentésimo octogésimo primo, ætátis vero suæ quinquagésimo quinto. Quem multis étiam post óbitum miráculis clarum Paulus quintus Beatórum, Clemens vero décimus Sanctórum número adscrípsit. Ejus demum festum Alexánder octávus, instánte rege cathólico, ab univérso ditiónis ipsíus clero sæculári, sub ritu dúplici celebrándum decrévit, sanctúmque Confessórem novi regni Granaténsis patrónum apostólica auctoritáte declarávit.

℟. **Iste homo perfécit ómnia, quæ locútus est ei Deus, et dixit ad eum: Ingrédere in réquiem meam: * Quia te vidi justum coram me ex ómnibus géntibus.** ℣. **Iste est, qui contémpsit vitam mundi, et pervénit ad cæléstia regna. - Quia te vidi. - Glória Patri. - Quia te vidi.**

In III Noct. Homilia in Evang. **Sint lumbi,** de eodem Communi 1 loco.

In Laudibus fit Com. S. Francisci Borgiæ Conf.: Ant. **Similábo**, ℣. **Amávit,** Oratio **Dómine Jesu Christe.**

¶ Infra Oct. et in die Octava Antiphonæ et Psalmi ad omnes Horas et Versus Nocturnorum de occurrenti hebdomadæ die, ut in Psalterio, Oratio ut in Festo, reliqua de Comm. Conf. non Pont. præter Lectiones, quæ in I Nocturno dicuntur de Scriptura occurrenti cum suis Responsoriis de Tempore, in II et III pro singulis diebus assignantur propriæ.

—✳—

Die 11 Octobris

Manizales:

De V die infra Oct. Sacratissimi ROSARII B. M. V.

Semiduplex

In II Nocturno

Sermo sancti Augustíni Epíscopi

Serm. 18 de Sanctis, in medio

Lectio iv

Exsúltat María, et matrem se læta mirátur, et de Spíritu Sancto se peperísse gaudet; nec quia péperit innúpta, terrétur; sed quia genúerit, cum exsultatióne mirátur. O fémina super féminas benedícta, quæ virum omníno non novit, et virum suo útero circúmdedit! Circúmdat virum María, Angelo fidem dando, quia Heva pérdidit virum, serpénti consentiéndo. O felix obediéntia, o insígnis grátia! quæ dum fidem humíliter dedit, cæli in se opífícem corporávit. Hinc promméruit glóriam, quam ipsa póstmodum auxit. Ecce, ait, ex hoc beátam me dicent omnes generatiónes.

℟. Tu glória Jerúsalem, tu lætítia Israel, tu honorificéntia pópuli nostri, fecísti viríliter: * Quia cunctas hæreses sola interemísti. ℣. Pulchra es et decóra, terríbilis ut castrórum ácies ordináta. - Quia.

Lectio v

O beáta María, quis tibi digne váleat jura gratiárum ac laudum præcónia repéndere, quæ singulári tuo asséensu mundo succurrísti pérdito? Quas tibi laudes fragílitas humáni géneris persólvat, quæ solo tuo commércio recuperándi áditum invénit? Accipe itaque quascúmque exíles, quascúmque méritis tuis ímpares gratiárum actiónes: et cum suscéperis vota, culpas nostras orándo excúsa. Admítte nostras preces intra sacrárium exauditiónis, et repórta nobis antídotum reconciliatiónis.

℟. Déxtera tua magnificáta est in fortitúdine, déxtera tua confrégit inimícos. * Submérsi sunt in aquis veheméntibus, et opéruit eos mare. ℣. Benedíxit te Dóminus in virtúte sua, quia per te ad níhilum redégit inimícos nostros. - Submérsi.

Lectio vi

Sit per te excusábile quod per te ingérimus: fiat impetrábile quod fida mente póscimus. Accipe quod offérimus, redóna quod rogámus, excúsa quod timémus, quia tu es spes única peccatórum. Per te sperámus véniam delictórum, et in te, beatíssima, nostrórum est exspectátio præmiórum. Sancta María, succúrre míseris, juva pusillánimes, réfove flébiles, ora pro pópulo, intérveni pro clero, intercéde pro devóto femíneo sexu: séntiant omnes tuum juvámen, quicúmque célebrant tuam sanctam Festivitátem.

℟. Signum magnum appáruit in cælo: Múlier amícta sole, et luna sub pédibus ejus: * Et in cápite ejus coróna stellárum duódecim. ℣. Dábitur cápiti tuo augméntum gratiá-

rum et coróna inclyta próteget te. - ℟. - Glória Patri. - ℟.

In III Nocturno

Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam

Lectio vii C. 1, 26-38

In illo témpore: Missus est Angelus Gábriel a Deo in civitátem Galilææ, cui nomen Názareth, ad Vírginem desponsátam viro, cui nomen erat Joseph, de domo David, et nomen Vírginis María. Et réliqua.

Homilía sancti Joánnis Damascéni

In Annunt. B. M. V.

Rex cæléstis misit ad Vírginem minístrum suum Gabriélem, ut ipsam salutatióne lætítiæ compelláret, certiorémque fáceret, esse se a Creatóre eléctam, dicéndo: Ave, grátia plena, Dóminus tecum, benedícta tu in muliéribus. Et quómodo benedícta non esset et grátia plena, cum qua creaturárum Dóminus fuit, copulándo sibi ex ea templum, quo opem géneri ipsíus afférret? Hódie, qui format res omnes visíbiles et invisíbiles, effínxit sibi imáginem humánam. Hódie, qui prodúcit omnes creatúras spirituáles et materiáles, prodúxit sibi carnis figúram. O misericórdiæ Creatóris abyssum et excellėntiam descénsus ejus!

℟. Ego quasi vitis fructificávi suavitátem odóris, * Et flores mei fructus honóris et honestátis. ℣. Ego mater pulchræ dilectiónis, et timóris, et agnitiónis, et sanctæ spei. - ℟.

Lectio viii

Quando Angelum vidit María, turbáta est ob sermónem ejus, secúmque cogitáre cœpit, úndenam esset ista salutátio. Angelus vero dixit ei: Ne tímeas, María, nacta es grátiam Dei. Ecce concípies in útero, et páries fílium, et vocábis nomen ejus Jesum. Profécto gloriósa hæc et illústris inter mulíeres grátiam nacta est apud Deum, cum ab eo elécta est, ut corpus ex ipsa súme-

ret, compingerétque ex sancto ejus sánguine, ut ei non fúerit ántea puritáte símilis, nec futúrus in posterióribus pari sanctitáte præditus.

℟. **Surge, própera, amíca mea: jam enim hiems tránsiit, imber ábiit et recéssit: * Flores apparuérunt in terra nostra. ℣. Dóminus dabit benignitátem, et terra nostra dabit fructum suum. - Flores. - Glória Patri. - Flores.**

Lectio ix

Quam ob rem omnes simul accurrámus, senes et adolescéntes, ætáte graves et junióres, ad honorándam Dóminam nostram, ac nostræ natúræ regínam, láudibus prædicántes puritátis ejus decórem, perpétuam ejus virginitátem reveréntes, altitúdinem dénique sanctitátis ejus honorántes, dicámus: O glória filiárum! o matrum decus! o genitrícem viro incógnitam! o vírginem fílio grávidam! o miráculum, quo missi a Deo prophétæ percúlsi sunt, et cujus glória Angelos súperat! Propítia sis servórum tuórum, qui auxílium tuum implórant, deprecatiónibus.

Te Deum laudámus.

In Laud. Com. Oct. S. Ludovici Bertrandi Conf.: Ant. **Euge,** ℣. **Justum,** Oratio **Deus, qui beátum.**

In Eccl. consecr., ut supra: deinde Com. Oct. Dedic. Eccl.: Ant. **Zachæe,** ℣. **Hæc est,** Oratio **Deus, qui nobis.**

In Vesp. Com. Oct. S. Ludovici: Ant. **Hic vir,** ℣. **Justum.**

In Eccles. vero consecr., ut supra: Vesp. de seq. die Octava Dedic. propriæ Eccles., Com. præc. diei infra Oct. B. M. V., et Oct. S. Ludovici.

—*—

Eadem die 11 Octobris
De II die infra Oct.
S. LUDOVICI

Semiduplex

In II Noct. Lectiones **Sermo sancti Joánnis Chrysóstomi: Beáti Ludovíci dies,** de Comm. Conf. non Pont. 1 loco.

In III Nocturno

Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam

Lectio vii C. 12, 35-40

In illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis: Sint lumbi vestri præcíncti, et lucérnæ ardéntes in mánibus vestris. Et réliqua.

De Homilía sancti Gregórii Papæ

Homilia 13 in Evang.

Sed véniens Dóminus, quid vigilántibus servis exhíbeat, audiámus. Amen dico vobis, quod præcínget se, et fáciet illos discúmbere, et tránsiens ministrábit illis. Præcínget se; idest ad retributiónem præparábit. Et fáciet illos discúmbere; idest in ætérna réquie refovéri: discúmbere quippe nostrum, in regno quiéscere est. Unde rursus Dóminus dicit: Vénient et recúmbent cum Abraham, Isaac et Jacob. Tránsiens autem Dóminus ministrat, quia lucis suæ illustratióne nos sátiat: transíre vero dictum est, cum de judício ad regnum redit.

℟. Iste est, qui ante **Deum magnas virtútes operátus est, et de omni corde suo laudávit Dóminum:** * Ipse intercédat pro peccátis ómnium populórum. ℣. Ecce homo sine queréla, verus Dei cultor, ábstinens se ab omni ópere malo, et pérmanens in innocéntia sua. - Ipse.

Lectio viii

Sed quid, si servi in prima vigília negligéntes exsístunt? prima quippe vigília, primævæ ætátis custódia est. Sed neque sic desperándum est, et a bono ópere cessándum. Nam longanimitátis suæ patiéntiam insínuans Dóminus subdit: Et si vénerit in secúnda vigília, et si in tértia vigília vénerit, et ita invénerit, beáti sunt servi illi. Prima quippe vigília, primævum tempus est, idest puerítia; secúnda, adolescéntia vel juvéntus, quæ auctoritáte sacri elóquii unum sunt, dicénte Salomóne: Lætáre júvenis in adolescéntia tua; tértia autem, senéctus accípitur.

℟. **Sint lumbi vestri præcíncti, et lucérnæ ardéntes in mánibus vestris: * Et vos símiles homínibus exspectántibus dóminum suum, quando revertátur a núptiis. ℣. Vigiláte ergo, quia nescítis qua hora Dóminus vester ventúrus sit. - Et. - Glória Patri. - Et.**

Lectio ix

Qui ergo vigiláre in prima vigília nóluit, custódiat vel secúndam: ut qui convérti a pravitátibus suis in pueritia negléxit, ad vias vitæ saltem in témpore juventútis evígilet: et qui evigiláre in secúnda vigília nóluit, tértiæ vigíliæ remédia non amíttat; ut qui in juventúte ad vias vitæ non vígilat, saltem in senectúte resipíscat. Non est jam, quid homo excusatiónis invéniat. Deus despícitur, et exspéctat; contémni se videt, et révocat: injúriam de contémptu suo súscipit, et tamen quandóque reverténtibus étiam præmia promíttit. Te Deum.

In Laud. in Eccle[s.] consecr., ut supra, fi[t] Com. Oct. Dedic. Eccl. Ant. **Zachæe**, ℣. **Hæc est,** Oratio **Deus**, **qui nobis.**

Vesp. de Octava.

In Eccles. vero consecr., ut supra: Vesp de seq. die Octava Dedicat. propriæ Eccles.. Com. præced. diei infra Oct. S. Ludovici.

—✳—

Die 12 Octobris

Manizales:

De VI die infra Oct. Sacratissimi ROSARII B. M. V.

Semiduplex

In II Nocturno

Sermo sancti Bernárdi Abbátis

Serm. in cap. 12 Apoc. ante medium

Lectio iv

Novum fecit Dóminus super terram, ut múlier circúmdaret virum, nec álium quam Christum, de quo dícitur: Ecce vir, Oriens nomen ejus. Novum quoque fecit in cælo, ut múlier sole apparéret amícta. Dénique et coronávit eum, et vicíssim ab eo méruit coro-

nári. Egredímini, fíliæ Sion, et vidéte regem Salomónem in diadémate quo coronávit eum mater sua. Verum hoc álias. Interim sane ingredímini magis, et vidéte Regínam in diadémate quo coronávit eam fílius suus. In cápite, inquit, ejus coróna stellárum duódecim.

℟. Tu glória Jerúsalem, tu lætítia Israel, tu honorificéntia pópuli nostri, fecísti viríliter: * Quia cunctas hæreses sola interemísti. ℣. Pulchra es et decóra, terríbilis ut castrórum ácies ordináta. - Quia.

Lectio v

Dignum plane stellis coronári caput, quod et ipsis longe clárius micans, ornet eas pótius quam ornétur ab eis. Quidni corónent sídera, quam sol vestit? Sicut dies verni circúmdabant eam flores rosárum et lília convállium. Nimírum læva sponsi sub cápite ejus, et jam déxtera illíus amplexátur eam. Quis illas æstimet gemmas? Quis stellas nóminet, quibus Maríæ régium diadéma compáctum est?

℟. Déxtera tua magnificáta est in fortitúdine, déxtera tua confrégit inimícos. * Submérsi sunt in aquis veheméntibus, et opéruit eos mare. ℣. Benedíxit te Dóminus in virtúte sua, quia per te ad níhilum redégit inimícos nostros. - Submérsi.

Lectio vi

Quid ergo sídereum micat in generatióne Maríæ? Plane quod ex régibus orta, quod ex sémine Abrahæ, quod generósa ex stirpe David. Si id parum vidétur, adde quod generatióni illi ob singuláre privilégium sanctitátis divínitus nóscitur esse concéssa, quod longe ante eísdem pátribus cælitus repromíssa, quod mysticis præfiguráta miráculis, quod oráculis prænuntiáta prophéticis. Hanc enim sacerdotális virga, dum sine radíce flóruit: hanc Gedeónis vellus, dum

in médio siccæ áreæ máduit: hanc in Ezechiélis visióne Orientális porta, quæ nulli umquam pátuit, præsignábat.

℟. Signum magnum appáruit in cælo: Múlier amícta sole, et luna sub pédibus ejus: * Et in cápite ejus coróna stellárum duódecim. ℣. Dábitur cápiti tuo augméntum gratiárum et coróna ínclyta próteget te. - Et. - Glória Patri. - Et.

In III Nocturno

Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam

Lectio vii C. 1, 26-38

In illo témpore: Missus est Angelus Gábriel a Deo in civitátem Galilææ, cui nomen Názareth, ad Vírginem desponsátam viro, cui nomen erat Joseph de domo David, et nomen Vírginis María. Et réliqua.

Homilía sancti Bernárdi Abbátis

Homil. 1 super Missus

Quid sibi vóluit Evangelísta, tot própria nómina rerum in hoc loco tam signánter exprímere? Credo, quia nóluit nos negligénter audíre, quod tam diligénter stúduit narráre. Nóminat síquidem núntium, qui míttitur Dóminum, a quo míttitur; Vírginem, ad quam míttitur; sponsum quoque Vírginis: amborúmque genus, civitátem ac regiónem própriis desígnat nomínibus. Ut quid hoc? Putásne áliquid horum supervácue pósitum sit? Nequáquam. Plena quippe sunt ómnia supérnis mystériis ac cælésti síngula dulcédine redundántia.

℟. Ego quasi vitis fructificávi suavitátem odóris, * Et flores mei fructus honóris et honestátis. ℣. Ego mater pulchræ dilectiónis, et timóris, et agnitiónis, et sanctæ spei. - Et.

Lectio viii

Ait itaque: Missus est Angelus Gábriel a Deo. Non árbitror, hunc Angelum de minóribus esse, qui quálibet ex causa crebra sóleant ad terras fungi legatióne: quod ex ejus nómine palam in-

télligi datur; quod interpretátum Fortitúdo Dei dícitur: et quia non ab álio áliquo forte excellentióri se (ut ássolet) spíritu, sed ab ipso Deo mitti perhibétur. Propter hoc ergo pósitum est, A Deo. Vel ídeo dictum est, A Deo, ne cui vel beatórum spiríituum suum Deus, ántequam Vírgini, revelásse putétur consílium, excépto dumtáxat Archángelo Gabriéle, qui útique tantæ inter suos inveníri potúerit excelléntiæ, ut tali et nómine dignus haberétur et núntio.

℟. Surge, própera, amíca mea: jam enim hiems tránsiit, imber ábiit et recéssit: * Flores apparuérunt in terra nostra. ℣. Dóminus dabit benignitátem, et terra nostra dabit fructum suum. - Flores. - Glória Patri. - Flores.

Lectio ix

Missus est ergo Angelus Gábriel a Deo. Quo? In civitátem Galilææ, cui nomen Názareth. Videámus, si, ut ait Nathánael, a Názareth potest áliquid boni esse. Názareth interpretátur flos. Christus autem non immérito fructus esse intellígitur, dicénte David: Dóminus dabit benignitátem et terra nostra dabit fructum suum. Et íterum: De fructu ventris tui ponam super sedem tuam. In Názareth ergo nuntiátur Christus nascitúrus: quia in flore sperátur processúrus. Sed prodeúnte fructu flos décidit: quia veritáte apparénte in carne, figúra pertránsiit. Unde et Názareth cívitas Galilææ dícitur, id est transmigratiónis, quia nascénte Christo, ómnia transiérunt, quæ, ut ait Apóstolus, in figúra contingébant illis.

Te Deum laudámus.

In Laud. fit Com. Octavæ S. Ludovici Bertrandi: Ant. Euge, ℣. Justum, Oratio Deus, qui beátum.

Vesp. de seq. Com. præc., Oct. S. Ludovici, et in Eccl. consecr., ut supra, Oct. Dedic. Eccl.

—※—

Eadem die 12 Octobris

De III die infra Oct.

S. LUDOVICI

Semiduplex

In II Nocturno

Sermo sancti Joánnis Chrysóstomi

De sancto Philogonio

Lectio iv Ante med.

Ad hanc beátam réquiem tránsiit beátus Ludovícus. Quænam ígitur orátio par sit viri láudibus, quem Deus tam felíci sorte dignátus est? Non est ulla. Sed age, dic mihi, num idcírco silébimus? et cujus rei grátia convénimus? An dicémus non haud posse magnitúdinem gestórum oratióne cónsequi? Atqui ob hoc ipsum necésse est dícere; quandóquidem hæc est præcípua laudum illíus pars, quod factis verba æquiparári non possint. Nam quorum benefácta natúram étiam súperant mortálem, perspícuum est, quod horum laudes excédunt linguam humánam. Haud tamen ob id aspernábitur offícium nostrum, quod pro víribus præstámus, sed suum imitábitur Dóminum; síquidem et ille víduæ duos tantum óbolos dejiciénti in gazophylácium non tantum duórum obolórum mercédem, sed multo ámplius réddidit.

℟. Honéstum fecit illum Dóminus, et custodívit eum ab inimícis, et a seductóribus tutávit illum: * Et dedit illi claritátem ætérnam. ℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas, et osténdit illi regnum Dei. - Et.

Lectio v

Proínde quamvis nostræ facultátes exíguæ sint minimíque prétii, áttamen, quæ póssumus, offérimus. Et licet non respóndeant magnitúdini meritórum ánimæ præclári justíque Ludovíci, tamen hoc ipsum celsitúdinis illíus máximum fúerit arguméntum, quod nec pusílla repéllat, sed idem fáciat, quod solent dívites. Síquidem illi, cum accéperint a tenúibus exígua, quibus non egent, sua vicíssim

appónunt remunerántes eos, qui, quod póterant, obtúlerint. Itidem et hic, cum accéperit a nobis laudem verbis peráctam, qua nequáquam eget, redonábit nobis per ipsa facta benedictiónem, qua semper uti possímus.

℟. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum: stolam glóriæ induit eum, * Et ad portas paradísi coronávit eum. ℣. Induit eum, Dóminus lorícam fídei, et ornávit eum. - Et.

Lectio vi

Unde ígitur laudatiónem illíus auspicábimur? An a magistrátu, quem spíritus illi trádidit grátia? Nam mundáni magistrátus nequáquam possunt christianórum demonstráre virtútes, quin pótius frequénter habent accusatiónem malítiæ. Quam ob causam? quóniam et sollicitúdines amicórum et circumcursatiónes et adulatiónes aliáque permúlta his fœdióra tales magistrátus solent conciliáre. Céterum ubi Deus suo suffrágio designárit áliquem, incorrúptum suffrágium, aliénum ab omni suspicióne judícium, indubitáta fúerit delécti comprobátio, propter ejus, qui delégit, auctoritátem.

℟. Iste homo perfécit ómnia, quæ locútus est ei Deus, et dixit ad eum: Ingrédere in réquiem meam: * Quia te vidi justum coram me ex ómnibus géntibus. ℣. Iste est, qui contémpsit vitam mundi, et pervénit ad cæléstia regna. - Quia. - Glória Patri. - Quia.

In III Nocturno

Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam

Lectio vii C. 12, 35-40

In illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis: Sint lumbi vestri præcíncti, et lucérnæ ardéntes in mánibus vestris. Et réliqua.

Homilía sancti Augustíni Epíscopi

Serm. 39 de Verb. Dom.

Audístis modo Evangélium, quid monúerit nos, cautos nos fáciens, et volens esse expedítos et parátos ad exspectándum no-

víssima, ut post novíssima, quæ sunt in hoc sæculo metuénda, succédat réquies, quæ non habet finem. Beáti, qui partícipes facti fúerint. Erunt autem tunc secúri, qui modo non sunt secúri; et íterum tunc timébunt, qui modo timére nolunt. Ad hanc exspectatiónem, et propter hanc spem christiáni facti sumus.

℟. Iste est, qui ante Deum magnas virtútes operátus est, et de omni corde suo laudávit Dóminum: * Ipse intercédat pro peccátis ómnium populórum. ℣. Ecce homo sine queréla, verus Dei cultor, ábstinens se ab omni ópere malo, et pérmanens in innocéntia sua. - Ipse.

Lectio viii

Nonne spes nostra non est de hoc sæculo? Non amémus sæculum. Ab amóre sæculi hujus vocáti sumus, ut áliud sæculum sperémus et diligámus. In hoc abstinére nos debémus ab ómnibus illícitis concupiscéntiis, hoc est, lumbos accínctos habére debémus, et fervére, et lucére in opéribus bonis hoc est, lucérnas ardéntes in mánibus habére. Dixit enim ipse Dóminus discípulis suis álio loco Evangélii: Nemo accéndit lucérnam, et ponit eam sub módio, sed super candelábrum, ut lúceat ómnibus, qui in domo sunt.

℟. Sint lumbi vestri præcíncti, et lucérnæ ardéntes in mánibus vestris: * Et vos símiles homínibus exspectántibus dóminum suum, quando revertátur a núptiis. ℣. Vigiláte ergo, quia nescítis qua hora Dóminus vester ventúrus sit. - Et. - Glória. - Et.

Lectio ix

Unde supra

Et ut osténderet unde dicébat, subjécit et ait: Sic lúceat lux vestra coram homínibus, ut vídeant bona facta vestra, et gloríficent Patrem vestrum, qui in cælis est. Lumbos nostros accínctos esse vóluit, et lucérnas ardéntes. Quid est: Lumbos accínctos?

Declína a malo. Quid est: Lucére? quid est: Lucérnas ardéntes habére? Hoc est, Et fac bonum. Quid est quod adjúnxit et ait: Et vos símiles homínibus exspectántibus Dóminum suum, quando revertátur a núptiis; nisi quod in illo Psalmo séquitur: Inquíre pacem, et perséquere eam? Te Deum.

Vesp. de seq. Com. præced. diei infra Oct. S. Ludovici.

—*—

Eadem die 12 Octobris

In Eccl. consecr. Ditionis Columbianæ exceptis Metrop. et Cathedral.

In Octava DEDICATIONIS PROPRIÆ ECCLESIÆ

Duplex majus

Antiphonæ et Psalmi ad omnes Horas et Versus Nocturnorum de occurrenti hebdomadæ die, ut in Psalterio, Lectiones I Nocturni de Scriptura occurrenti cum suis ℟℟. de Tempore, reliqua de Communi Dedicationis Ecclesiæ in die Festo et in die Octava.

In I Vesp. fit Com. præced. diei infra Oct. S. Ludovici: Ant. **Hic vir,** ℣. **Justum,** Oratio **Deus, qui beátum.**

Manizales:

In I Vesp. fit Com. præced. diei infra Oct. B. M. V.: Ant. **Beáta Mater,** ℣. **Regína,** Oratio **Deus, cujus Unigénitus.** — Deinde Com. Oct. sancti Ludovici: Ant., ℣. et Oratio, ut supra.

In Laudibus fit Com. Octavæ S. Ludovici: Ant. **Euge,** ℣. **Justum.**

Manizales:

Fit Com. Oct. B. M. V.: Ant. **Solemnitátem,** ℣. **Elégit.** — Deinde Com. Octavæ S. Ludovici: Ant. et ℣. ut supra.

In II Vesp. Com. seq. et Oct. S. Ludovici.

Manizales:

In II Vesp. Com. seq., Oct. B. M. V., et Oct. S. Ludovici.

—*—

Die 14 Octobris

Manizales:

In Octava Sacratissimi ROSARII B. M. V.

Duplex majus

In I Vesp. fit Com. præced.: Ant. **Hic vir,**

℣. **Justum**, Oratio **Deus, qui beátum.**

Deinde Com. S. Callisti I Papæ et Mart.: Ant. **Iste sanctus**, ℣. **Glória**, Oratio **Deus, qui nos.**

Postea Com. Octavæ S. Ludovici: Ant. **Euge**, ℣. **Amávit**, Oratio **Deus, qui beátum.**

Lectiones II et III Nocturni cum suis Responsoriis ut in Festo.

Pro S. Callisto :

Lectio ix

Callístus Románus præfuit Ecclésiæ Antoníno Heliogábalo imperatóre. Constítuit quátuor anni témpora, quibus jejúnium ex apostólica traditióne accéptum, ab ómnibus servarétur. Ædificávit Basílicam sanctæ Maríæ trans Tíberim, et in via Appia vetus cœmetérium ampliávit, in quo multi sancti Sacerdótes et Mártyres sepúlti sunt: unde ab eo Callísti cœmetérium appellátur. Sedit annos quinque, mensem unum, dies duódecim. Post longam famem, crebrásque verberatiónes præceps jactus in púteum, martyrio coronátur sub Alexándro imperatóre, et sepúltus est in cœmetério Calepódii via Aurélia, tértio ab Urbe lápide, prídie Idus Octóbris. Ejus póstmodum corpus in Basílicam sanctæ Maríæ trans Tíberim delátum sub ara majóri, máxima veneratióne cólitur.

Te Deum laudámus.

Ad Laudes fit Com. S. Callisti : Ant. **Qui odit**, ℣. **Justus.**

Deinde Com. Octavæ S. Ludovici: Ant. **Euge**, ℣. **Justum.**

In II Vesperis Com. seq., S. Callisti, et Oct. S. Ludovici.

—✳—

Die 16 Octobris

De VII die infra Oct. S. LUDOVICI

Semiduplex

In II Nocturno

De Sermóne sancti Joánnis Chrysóstomi

Unde supra, paulo post

Lectio iv

Quantum autem sit pietátis arguméntum, quod Deus illum tanto magistrátu dignum judicárit, audi.

Christus excitátus a morte quid dicit Petro? Postquam enim illum interrogásset: Petre, amas me? isque respondísset: Tu, Dómine, scis quod amo te; dicit illi: Si díligis me, pasce oves meas. Hoc autem dicébat, non solum ut nobis certíssime declaráret quantópere ipsum dilígeret Petrus; verum étiam, ut palam fáceret quantam habéret benevoléntiam erga suas oves. Itaque si quis volúerit illi commendátus esse, curam hábeat óvium illíus, públicam quærat utilitátem, fratrum suórum salúti prospíciat.

℟. Honéstum fecit illum Dóminus, et custodívit eum ab inimícis, et a seductóribus tutávit illum: * Et dedit illi claritátem ætérnam. ℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas, et osténdit illi regnum Dei. - Et dedit.

Lectio v

Nullum enim offícium hoc Deo cárius est, et ob id alícubi dicit: Simon, Simon, expetívit te sátanas, ut cribráret te tamquam tríticum; sed ego rogávi pro te, ne defíciat fides tua. Quid ígitur hujus sollicitúdinis curæque præmium mihi repéndis? Eámdem curam, quam nobis impéndit, repóscit. Nam et tu, inquit, aliquándo convérsus confírma fratres tuos. Neque prorsus ália res est, quæ perínde decláret doceátque, quis sit fidélis et amans Christi, quam si fratrum curam agat, proque illórum salúte gerat sollicitúdinem.

℟. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum: stolam glóriæ índuit eum, * Et ad portas paradísi coronávit eum. ℣. Induit eum Dóminus lorícam fídei, et ornávit eum. - Et ad portas.

Lectio vi

Hæc omnes áudiant et mónachi, qui móntium occupárunt cacúmina, quique modis ómnibus seipsos mundo crucifixérunt, quo pro víribus Ecclesiárum præféctos ádjuvent, horúmque cu-

ras léniant précibus, concórdia, caritáte; sciéntes, quod nisi modis ómnibus opituléntur iis, qui tot perículis objiciúntur, per grátiam Dei, totque negotiórum curas sústinent, quibuscúmque possunt ratiónibus auxiliéntur, quamquam procul habitántes, et victus sors ipsis periísset, et tota in scópulum impegísset sapiéntia.

℟. Iste homo perfécit ómnia quæ locútus est ei Deus, et dixit ad eum: Ingrédere in réquiem meam: * Quia te vidi justum coram me ex ómnibus géntibus. ℣. Iste est, qui contémpsit vitam mundi, et pervénit ad cæléstia regna. - Quia te vidi. - Glória Patri. - Quia te vidi.

In III Nocturno

Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam

Lectio vii C. 12, 35-40

In illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis: Sint lumbi vestri præcíncti, et lucérnæ ardéntes in mánibus vestris. Et réliqua.

De Homilía sancti Augustíni Epíscopi

Unde supra

Hæc tria, hoc est, abstinéntia a malo, et operátio boni, et spes præmii ætérni commemoráta sunt in Actibus Apostolórum, ubi scriptum est: Quia docébat eos Paulus de continéntia, de justítia, et spe vitæ ætérnæ. Ad continéntiam pértinet: Sint lumbi vestri præcíncti. Ad justítiam pértinet: Et lucérnæ ardéntes. Ad exspectatiónem Dómini pértinet: Quæ est spes vitæ ætérnæ. Ergo declína a malo: hæc est continéntia, hi sunt lumbi accíncti. Et fac bonum: hæc est justítia, hæ sunt lucérnæ ardéntes. Quære pacem, et séquere eam: hæc est exspectátio futúri sæculi.

℟. Iste est, qui ante Deum magnas virtútes operátus est, et de omni corde suo laudávit Dóminum: * Ipse intercédat pro peccátis ómnium populórum. ℣. Ecce homo sine queréla, verus Dei cultor, ábstinens se ab omni

ópere malo, et pérmanens in innocéntia sua. - Ipse.

Lectio viii

Habéntes autem ista præcépta et promíssa, quid quærimus in terra dies bonos, ubi eos invenire non póssumus? Scio enim, quia eos quæritis, quando aut ægrotátis, aut in tribulatiónibus estis, quæ abúndant in hoc sæculo; quóniam quando ætas vergit ad finem, et senex plenus est querélis, et nullis gáudiis: inter omnes tribulatiónes, quibus contéritur genus humánum, non quærunt hómines nisi dies bonos, et vitam volunt longam, quam hic habére non possunt.

℟. Sint lumbi vestri præcíncti, et lucérnæ ardéntes in mánibus vestris : * Et vos símiles homínibus exspectántibus dóminum suum, quando revertátur a núptiis. ℣. Vigiláte ergo, quia nescítis qua hora Dóminus vester ventúrus sit. - Et. - Glória Patri. - Et.

Lectio ix

Quid ergo est vita hóminis, étiam illa quæ longa dícitur? Audíte non a me, sed mecum simul. Ait enim nobis quidam: Veníte, fílii, audíte me, timórem Dómini docébo vos. En, quam rem vult docére, et cui rei útilis est timor Dómini. Séquitur: Quis est homo, qui vult vitam, et díligit dies vidére bonos? Respondémus omnes: Nos vólumus. Quod séquitur, audiámus: Cóhibe linguam tuam a malo, et lábia tua ne loquántur dolum. Modo dic: Ego. Eja respóndeat mihi áliquis: Ego. Et cum hoc féceris, secúrus exspécta vitam et dies bonos; quære pacem et séquere eam; et tunc bona fronte dices Dómino: Feci quod jussísti, redde quod promisísti.

Te Deum laudámus.

Vesperæ de sequenti die Octava, Commem. S. Hedwigis Viduæ.

—✳—

Die 17 Octobris
In Octava
S. LUDOVICI BERTRANDI Conf.

Duplex majus Oratio

Deus, qui beátum Ludovícum Confessórem tuum per córporis mortificatiónem et fídei præcónium Sanctórum glóriæ coæquásti: præsta, ut quod fide profitémur, pietátis opéribus júgiter impleámus. Per Dóminum.

Et fit Com. S. Hedwigis: Ant. Símile est, ℣. Spécie, Oratio Deus, qui beátam.

In II Nocturno

Ex Bulla Canonizat.

Lectio iv

Apostólico zelo succénsus beátus Ludovícus, ad occidentáles Indos repugnántibus licet frátribus et amícis, iter arrípuit, quod non absque miráculo confécit. Précibus a Deo obtínuit, ut pátria lingua usus, ab Indis sine intérprete intelligerétur. Vigílias, sitim, famem, æstum et frígora in hoc ministério ferens, plúrimos vocávit ad fidem. Visus est sæpius in itínere a via secédens, duris se flagéllis cædere. Feras sibi óbvias signo crucis mansuefécit. Stérilem árborem moménto pomíferam fecit, fontémque ex radíce ejus elícuit.

℟. Honéstum fecit illum Dóminus, et custodívit eum ab inimícis, et a seductóribus tutávit illum: * Et dedit illi claritátem ætérnam. ℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas, et osténdit illi regnum Dei. - Et dedit.

Lectio v

Tubáram a Superióribus missus, ut gentes illam Dei cognitióne imbúeret, et sacris initiáret, eórum ómnium infidélium conversiónem fusis ad Deum précibus obtínuit. Dæmonem ibi mentíto hábitu eum a sancto ministério dehortánte detéxit, ac dedit in fugam. Idolórum lucos succéndit, státuas comminuit, profános sacerdótes sacro baptísmate tinxit. Tanta apud bárbaros illos grátia et

auctoritáte váluit, ut furéntes illos sola præséntia sedárit: iique vicíssim abeúntem illum amaríssime fléverint.

℟. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum: stolam glóriæ índuit eum, * Et ad portas paradísi coronávit eum. ℣. Induit eum Dóminus lorícam fídei, et ornávit eum. - Et.

Lectio vi

In cœnóbio Valéntiæ Superiórum jussu, invítus licet, Prior constitútus in cella sancti Vincéntii Ferrérii, régimen ipsi commendans, ab ejus imágine, coram qua genufléxus orábat, se inclinánte méruit ampléxu honorári. Ut studiórum exercítia accuráte perficeréntur, sédulo invigilábat: cúpiens Religiósos in sanctis aut erudítis exercitatiónibus semper occupári: eorúmque proptérea e claustro éxitum, urgénte dumtáxat necessitáte permittébat. Ostio cubíli sui Apostólicam illam senténtiam, cujus observantíssimus fuit, inscríbi vóluit: Si homínibus placérem, servus Christi non essem.

℟. Iste homo perfécit ómnia quæ locútus est ei Deus, et dixit ad eum: Ingrédere in réquiem meam: * Quia te vidi justum coram me ex ómnibus géntibus. ℣. Iste est, qui contémpsit vitam mundi, et pervénit ad cæléstia regna. - Quia. - Glória Patri. - Quia.

In III Nocturno

Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam

Léctio vii C. 12, 35-40

In illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis: Sint lumbi vestri præcíncti, et lucérnæ ardéntes in mánibus vestris. Et réliqua.

Homilía sancti Fulgéntii Epíscopi

Sermo de Conf.

Si istum Dómini sermónem secúndum lítteram velímus accípere, nihil in eo cómmodi spiritális póssumus inveníre. Quid enim próficit ad ánimæ salútem, si áliquis corporáliter, aut lumbos præcíngat, aut lucérnam accéndat? In lum-

bis ítaque concupiscéntia carnális osténditur, in lucérnis vero fides et cáritas christiána monstrátur. Jubens ígitur Dóminus lumbos nostros præcíngi, concupiscéntias carnis sine dúbio præcipit refrenári. Imperans autem ut lucérnas ardéntes habeámus, hoc útique jubet, ut et lúmine veræ fídei splendeámus, et sanctæ caritátis opéribus ferveámus.

℟. Iste est, qui ante Deum magnas virtútes operátus est, et de omni corde suo laudávit Dóminum: * Ipse intercédat pro peccátis ómnium populórum. ℣. Ecce homo sine queréla, verus Dei cultor, ábstinens se ab omni ópere malo, et pérmanens in innocéntia sua. - Ipse.

Lectio viii

Ista, quæ de Evangélio proposúimus, cum prophéticis sermónibus conferámus. Utrúmque enim Testaméntum Deus instítuit, unus Dóminus dedit. Etsi sunt utriúsque Testaménti divérsa pro tempóribus sacraménta, concórdat tamen in utróque salútis humánæ senténtia, qua præcípitur, ut non peccémus, et jubétur ut bonis opéribus insistámus. Per Isaíam Dóminus omnes his ádmonet verbis: Auférte malum cogitatiónum vestrárum ab óculis meis, quiéscite pervérse ágere, díscite benefácere. Quid est enim: Sint lumbi vestri præcíncti, nisi, quiéscite ágere pervérse? quid est: Sint lucérnæ ardéntes, nisi, díscite benefácere?

℟. Sint lumbi vestri præcíncti, et lucérnæ ardéntes in mánibus vestris: * Et vos símiles homínibus expectántibus dóminum suum, quando revertátur a núptiis. ℣. Vigiláte ergo, quia nescítis qua hora Dóminus vester ventúrus sit. - Et. - Glória Patri. - Et.

Pro S. Hedwige:

Lectio ix

Hedwígis, régiis clara natálibus, sanctæ Elísabeth, fíliæ regis Hungáriæ, matértera, duodénnis Henrí-

co Polóniæ duci núptui trádita, prolem inde suscéptam in Dei timóre erudívit. Ut autem commódius Deo vacáret, ex pari voto et consénsu unánimi, ad separatiónem thori virum indúxit; quo defúncto, ipsa in monastério Trebnicénsi Cisterciénsem sumpsit hábitum; in eóque, contemplatióni inténta, divínis Offíciis et Missárum solémniis assídua assístere in delíciis hábuit. Sublimióribus florens virtútibus, arctíssima pœniténtia, consiliórum gravitáte, animíque candóre, in exímium religiósæ pietátis evásit exémplum. Omnibus se ultro subjícere, atque vilióra múnia subíre, paupéribus étiam flexo genu ministráre, leprosórum pedes ablúere et osculári, ipsi familiáre erat. Mira ejus patiéntia, animíque constántia præcípue in morte Henríci, ducis Silésiæ sui fílii, in bello a Tártaris cæsi, enítuit. Miraculórum glória, præcípue post óbitum, claram, Clemens quartus Sanctórum número eam adscrípsit.

Te Deum laudámus.

In Laudibus fit Com. S. Hedwigis: Ant. Date ei, ℣. Diffúsa.

Vesp. de seq. Com. præced. tantum.

—✳—

Die 27 Octobris

Tunquæ:

In DEDICATIONE ECCL. CATHEDRALIS

Duplex I cl. cum Oct. communi

Omnia ut in Comm. Dedicationis Ecclesiæ.

Et non legitur ix Lectio de Homilia Vigil. Ss. Simonis et Judæ App., neque fit ejus Com. in Laud.

In II Vesperis Com. seq.: Ant. Tradent, ℣. In omnem, Oratio Deus, qui nos.

¶ Infra Octavam et in die Octava Antiphonæ, et Psalmi ad omnes Horas et ℣. Nocturnorum de occurr. hebdomadæ die, ut in Psalterio; reliqua de Communi Dedic. Eccl. in die Festo, præter Lectiones quæ in I Noct. dicuntur de Scriptura

occurr. cum suis Responsoriis de Tempore, in II et III pro singulis diebus assignantur propriæ in eod. Comm.

—✳—

Die 29 Octobris

Tunquæ :

De III die infra Oct. DEDICATIONIS ECCL. CATHEDRALIS

Semiduplex

In II et III Nocturno Lectiones de Communi Dedic. Eccl. pro die III infra Octavam.

—✳—

Die 30 Octobris

Tunquæ :

De IV die infra Oct. DEDICATIONIS ECCL. CATHEDRALIS

Semiduplex

In II et III Nocturno Lectiones de Communi Dedic. Eccl. pro IV die infra Octavam.

Si hodie fuerit Sabbatum ix Lectio pro Vigilia anticipata Omnium Sanctorum, de Homilia in Evang. **Descéndens Jesus,** de Comm. plurim. Mm. 2 loco: et fit ejus Com. in Laud. per Ant. et ℣. de Sabbato in Psalterio, et Orationem **Dómine Deus,** ut in Proprio Ss. sequenti die.

—✳—

Die 31 Octobris

Tunquæ :

De V die infra Oct. DEDICATIONIS ECCL. CATHEDRALIS

Semiduplex

In II et III Nocturno Lectiones de Communi Dedic. Eccl. pro V die infra Octavam.

Lectio ix pro Vigilia Omnium Sanctorum de Homilia in Ev. **Descéndens Jesus,** de Comm. plurim. Mm. 2 loco: et fit ejus Com. in Laud. per Ant. et ℣. de Feria curr., ut in Psalterio, et Orationem **Dómine Deus,** ut in Prop. Ss. hac die.

Vesperæ de sequenti sine Com.

—✳—

Die 3 Novembris

B. MARTINI DE PORRES Conf.

Duplex Oratio

Deus, humílium celsitúdo, qui beátum Martínum Confessórem tuum ad cæléstia regna transíre fecísti:

ejus méritis, et intercessióne concéde; nos ejus humilitátem ita imitári in terris, ut cum ipso exaltári mereámur in cælis. Per Dóminum.

Et fit Com. Octavæ Omnium sanctorum: Ant. Angeli, Archángeli, ℣. Lætámini, Oratio Omnípotens.

In II Nocturno

Lectio iv

Martínus Limæ in América meridionáli ex nóbili parénte Joánne de Porres, et Anna Velásquez, anno reparátæ salútis millésimo quingentésimo septuagésimo nono ortum hábuit. Ab ineúnte ætáte, miro morum candóre, futúræ exímiæ sanctitátis indícia præbuit. Virtútes enim modéstiæ, humilitátis, ac in páuperes liberalitátis, puerítiam ejus ómnibus admirábilem reddidérunt. Adoléscens vero, júgiter cum eo erga próximos, præsértim ægrótos, adolévit commiserátio: ideóque arti chirúrgicæ omne impéndit stúdium, ut absque ullo emoluménto sanitátem impertíret, quod ei sæpíssime pro voto cessit. Cáritas Dei ut magis magísque in corde suo diffunderétur, mundi honóres, et oblectaménta abhórrens, patérnæ domus oblítus, Tértium sancti Patriárchæ Domínici órdinem amplécti, ac inter láicos operários recenséri eníxe postulávit, quod ei ex senténtia páriter succéssit. Absolúto tirocínio, summa ómnium admiratióne, ac solémnibus votis nuncupátis, quis enarráre póterit quo stúdio, qua solértia omnígenas, quæ religiósum perféctum constítuunt, virtútes cólere, et prósequi conténderit? Humilitátem ádeo diligébat, ut vilióra, et abjectióra quæque cœnóbii offícia semper in delíciis habúerit obíre, peccatórem máximum se appellári, flexis génibus pedes eórum deosculári, qui maledíctis eum oneráre audébant.

℟. Honéstum fecit illum Dóminus, et custodívit eum ab inimí-

cis, et a seductóribus tutávit illum: * Et dedit illi claritátem ætérnam. ℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas, et osténdit illi regnum Dei. - Et dedit.

Lectio v

Quámvis ab spontánea vel levi ánimæ mácula remótus, numquam désiit assíduis jejúniis carnem suam excruciáre, cilíciis, et caténis férreis diro modo cruentáre, ut rectíssime ásseri possit quod mortificatiónem Jesu in suo córpore circumférret. Tanto in divínum humánæ salútis Reparatórem æstuábat amóre, ut aliquándo visus sit ante imáginem Jesu Christi e cruce pendéntis précibus inténtus, sublátus a terra ad eum eváre, tamquam plaga láteris ejus adhuc sánguinem scaturísset, admótis lábiis eam súgere, et máxima aviditáte satiári voluísset. Nil igitur mirum si ex hoc perénni divíni amóris fonte inebriátus, nónnisi de cæléstibus loquerétur, quibus et suum et aliórum corda inflammáre ardentíssime exoptábat. Martyrii palmæ cupidíssimus Japóniæ et Sinárum impéria pétere in optátis habébat, ut inter hostíles ethnicórum manus, profúso sánguine, Christi hóstia éffici mererétur. Hac vero inexplébili in Deum caritáte, singulos cujúsque conditiónis hómines complectebátur, et máxime ægrótos, et præsértim moriéntes, quibus ómnia consolatiónis offícia ex corde præstáre studébat. Cum vero pátriæ suæ tam miránda caritátis arguménta præbéret, uno eodémque témpore compassívi amóris igne incénsus erga míseros captívos in Africa degéntes, miro prorsus prodígio sæpius illic adésse visus est, ut eos confortáret, providéret, eorúmque captivitátis caténas dissólveret. Accidit ut cum unus ex illis génere Hispánus, postquam Martíno auxiliánte, libertátem recuperávit Júliæ Cæsaréæ,

non post multum témporis spátium, Limæ eum vidísset, grati ánimi sensu commótus, ceu insígnem suum liberatórem salutáverit, et accéptum benefícium, Martíno reluctánte, ómnibus prædicáre non destíterit.

℟. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum: stolam glóriæ índuit eum, * Et ad portas paradísi coronávit eum. ℣. Induit eum Dóminus lorícam fídei, et ornávit eum. - Et.

Lectio vi

Veheménter angebátur nothos vidére puérulos, alióque líberos paréntibus orbátos, máximis óbrui malis, quibus reparándis, Limæ, ut ad pietátem, et honestátem institueréntur, percélebre collégium ad hoc excitándum curávit. Eo quoque procéssit ejus humanitátis sensus, ut vel bruta ipsa animália suam óperam salutárem curámque continénter fúerint expérta. Deus vero tam excelléntem servi sui caritátem supérnis donis mirum in modum exornáre sibi complácuit. Divíno hinc lúmine collustrátus, et futúra prædíxit, et córdium abscóndita cognóvit, et dæmonum artes furentésque ímpetus detéxit, ac profligávit, et licet rudis et ignárus, gravíssimas theológicas quæstiónes sic dirimébat, ut vel ipsi doctíssimi viri admiraréntur, ejúsque sapiéntiam divínitus haustam celebrárent. Dignus prætérea a Deo rédditus, ut cum cælítibus collóquia habéret, multis coruscáret miráculis, et tandem extrémum ætérnæ suæ retributiónis diem appropinquáre cognósceret, quem plúries ei clare manifestum fecit. Morbo itaque diútino corréptus, ut omnes cœnóbii religiósi sibi moriénti adéssent eníxe postulávit, a quibus, de cunctis ab eo accéptis offénsis, véniam pétiit. Defíxis dein in Crucifíxi imágine óculis, quam præ mánibus tenébat, ad ea verba Symboli, quod astántes recitábant:

Verbum caro factum est, imágine Crucifíxi in péctore depósita, seréna fronte, hilaríque vultu innocéntem ánimam réddidit Creatóri, anno millésimo sexcentésimo trigésimo nono, tértio Nonas Novémbris, anno ætátis suæ sexagésimo. Multis vivens, et post óbitum miráculis cláruit. Quibus rite ágnitis, ac probátis, Gregórius décimus sextus Póntifex Máximus illum Beatórum albo accénsuit, ejúsque festum cum Offício et Missa in univérso Prædicatórum Ordine, et Limána diœcési celebrári concéssit.

℟. Iste homo perfécit ómnia, quæ locútus est ei Deus, et dixit ad eum: Ingrédere in réquiem meam: * Quia te vidi justum coram me ex ómnibus géntibus. ℣. Iste est, qui contémpsit vitam mundi, et pervénit ad cæléstia regna. - Quia. - Glória Patri. - Quia.

In III Noct. Homilia in Evang. Confíteor tibi Pater, de Comm. Abb. 2 loco.

In Laud. Com. Oct. Omnium Sanctorum: Ant. Te gloriósus, ℣. Exsultábunt.

Vesp. a Capit de seq., Com. præc., Oct. Oo. Ss. ac Ss. Vitalis et Agricolæ Mm.

In Laud. et II Vesp. Com. Octavæ Omnium Sanctorum.

—✳—

Eadem die 3 Novembr.

Tunquæ:

In Octava
DEDICATIONIS
ECCL. CATHEDRALIS

Duplex majus

In II et III Nocturno Lectiones de Communi Dedicationis Ecclesiæ pro die Octava.

In I Vesp. fit Com. B. Martini de Porres Conf.: Ant. Similábo, ℣. Amávit, Oratio Deus, humílium.

Deinde Com. Octavæ Omnium Sanctor.: Ant. Angeli, Archángeli, ℣. Lætámini, Oratio Omnípotens.

Pro B. Martino de Porres:

Lectio ix

Martínus de Porres, adoléscens, Tértium sancti Domínici órdinem ampléxus, abso-

lúto tirocínio, summo stúdio et solértia omnigenas, quæ religiósum perféctum constítuunt, virtútes cólere, et prósequi conténdit. Martyrii palmæ cupidíssimus, Japóni et Sinárum impéria pétere in optátis habébat, ut inter hostíles ethnicórum manus, profúso sánguine, Christi hóstia éffici mererétur. Veheménter angebátur nothos vidére puérulos, aliósque líberos paréntibus orbátos máximis óbrui malis, quibus reparándis, Limæ, ut ad pietátem, et honestátem institueréntur, percélebre collégium ad hoc excitándum curávit. Morbo dénique diútino corréptus, ut omnes cœnóbii religiósi sibi moriénti adéssent eníxe postulávit, a quibus, de cunctis ab eo accéptis offénsis, véniam pétiit. Defíxis dein in Crucifíxi imágine óculis, et imágine Crucifíxi in péctore depósita, seréna fronte, hilaríque vultu innocéntem ánimam réddidit Creatóri, anno millésimo sexcentésimo trigésimo nono, tertio Nonas Novémbris, anno ætátis suæ sexagésimo. Multis vivens, et post óbitum miráculis cláruit.

Te Deum laudámus.

Ad Laudes fit Com. B. Martini de Porres: Ant. Euge, ℣. Justum.

Deinde Oct. Omnium Sanct.: Ant. Te gloriósus, ℣. Exsultábunt.

In II Vesperis Com. seq., B. Martini, Oct. Omn. Sanct. ac Ss. Vitalis et Agricolæ Mm.

—✻—

Die 18 Novembris

In Archid. Carthagen. in Indicis et Arch. Medellen.:

In DEDICATIONE ECCLES. METROPOL.

Duplex I cl. cum Oct. communi

Omnia ut in Comm. Dedicationis Ecclesiæ.

In Laudibus fit Com. Dedicationis Basilicarum Ss. Petri et Pauli App.: Ant. Sanctificávit Dóminus, ℣. Dómum tuam, Oratio Deus, qui invisibíliter.

In II Vesperis Com. seq. tantum.

—✻—

Die 19 Novembris

Bogotæ:

S. ELISABETH Viduæ Patr. princ. Archid.

Duplex I cl. cum Oct. communi

Omnia ut in Comm. non Virg. et proprio loco in Brev. hac die.

Et non fit Commem. præced. neque S. Pontiani Papæ et Mart. de quo omittitur etiam Lectio ix.

In I Noct. Lectiones **Mulierem fortem.**

—✳—

Die 25 Novembris

In Archid. Carthagen.
In Indiciis:

S. CATHARINÆ

Virg. et Mart.
Patronæ principalis

Duplex I cl. cum Oct. communi

Omnia de Communi Virginum et Martyrum 1 loco, præter ea quæ habentur propria in Breviario.

In Laudibus fit Com. diei Octavæ Dedicationis Ecclesiæ Metropolitanæ: Ant. **Zachæe,** ℣. **Hæc est,** Oratio **Deus, qui nobis.**

In II Vesperis Com. seq. tantum.

¶ Infra Oct. et in die Octava Antiphonæ et Psalmi ad omnes Horas et Versus Nocturnorum de occurrenti hebdomadæ die. ut in Psalterio, Oratio ut in Festo, reliqua de Communi Virginum et Martyrum, præter Lectiones, quæ in I Nocturno dicuntur de Scriptura occurrenti cum suis Responsoriis de Tempore, in II et III pro singulis diebus assignantur propriæ.

—✳—

Eadem
die 25 Novembris

In Archid. Medellen.:

In Octava
DEDICATIONIS ECCLES. METROPOL.

Duplex majus

Antiphonæ et Psalmi ad omnes Horas et Versus Nocturnorum de occurrenti hebdomadæ die, ut in Psalterio, Lectiones I Nocturni de Scriptura occurrenti cum suis Responsoriis de Tempore, reliqua de Communi Dedicationis Ecclesiæ in die Festo atque in die Octava

In I Vesp. fit Com. præc.: Ant. **Hic vir**, ℣. **Justum**, Oratio **Deus, qui sanctum.**

Deinde Com. S. Catharinæ Virg. et Mart.: Ant. **Veni, sponsa**, ℣. **Spécie**, Oratio **Deus, qui dedísti.**

Pro S. Catharina Virg.

Lectio ix

Catharína, nóbilis **virgo** Alexandrína, **liberálium ártium stúdia cum fidei ardóre conjúngens, cum multos Christiános Maximini jussu ad supplícium rapi vidéret, ipsum ádiit Maximínum, eíque Christi fidem ad salútem necessáriam esse strénue affirmávit. Ejus prudéntiam admirátus tyránnus retinéri eam jubet et, accersítis úndique doctíssimis homínibus, ei persuadére studet, ut ad idolórum cultum se convértat; sed contra áccidit: plures enim ex iis viris, sapientíssimis ratiónibus a Catharína convícti, Christi fidem sunt ampléxi et pro ea mori non dubitárunt. Quam ob rem Maximínus blandítiis primum, deínde torméntis Catharínam de senténtia dedúcere aggréditur: sed cum nihil profíceret, eam secúri pércuti ímperat.**

Te Deum laudámus.

In Laudibus fit Com. S. Catharinæ: Ant. **Símile est**, ℣. **Diffúsa.**

In II Vesperis Com. seq., S. Catharinæ, ac S. Petri Alexandrini Ep. et Mart.

—✳—

Die 26 Novembris

In Archid. Bogoten.:

In Octava
S. ELISABETH Viduæ

Duplex majus

Antiphonæ et Psalmi ad omnes Horas de occurrenti hebdomadæ die, ut in Psalterio, Oratio ut in Festo, Lectiones I Nocturni de Scriptura occurrenti cum suis Responsoriis de Tempore, reliqua de Communi non Virginum, præter seq.

In I Vesp. fit Com. præced.: Ant. **Veni, sponsa,** ℣. **Diffúsa,** Oratio **Deus, qui dedísti.**

Deinde Com. S. Silvestri Abb.: Ant. **Similábo,** ℣. **Amávit,** Oratio **Clementíssime.**

Postea Com. S. Petri Alexandrini Episc. et Mart.: Ant. Iste sanctus, ℣. Glória, Oratio Infirmitátem, de Communi un. Mart.

In II Nocturno

De Sermóne sancti Austíni Epíscopi

Serm. 45 de divers. cap. 12

Lectio iv

Duplícia pállia fecit viro suo. Jam acclamátis: Credo, quod agnóscitis, quæ sunt duplícia pállia. Laudes sunt, laudes fídei, laudes confessiónis, laudes prædicatiónis. Quare duplícia? Christum laudas, Deum laudas, et hóminem. Duplíciter lauda, simplíciter lauda. Duplíciter, quia homo est et Deus: simplíciter, ut non sis fictus. Confitére Deum, confitére hóminem: lauda Deum in hómine, lauda hóminem in Deo. Téxuit pretiosíssimum illud pállium laudis: In princípio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum: hoc erat in princípio apud Deum. Téxuit et áliud pállium, propter conversatiónem inter hómines quotidiánam: Verbum caro factum est, et habitávit in nobis.

℟. Propter veritátem, et mansuetúdinem, et justítiam: * Et dedúcet te mirabíliter déxtera tua. ℣. Spécie tua et pulchritúdine tua inténde, próspere procéde, et regna. - Et dedúcet.

Lectio v

Hic ergo ista laboriósa, vigilans, sollícita, sevére castígans domum suam, surgens de nóctibus, íntuens lucérnam ne exstinguátur, in tribulatióne fortis, nondum recéptis promíssis pavens, bráchia sua in fusum confírmans, non pigrum panem mandúcans. Sed post labóres istos quasi paupertátis et necessitátis sæculáris, quid erit, quia in diébus novíssimis lætáta est? Quid erit? Audíte propter quam spem árdeat lucérna nostra tota nocte, nunc audíte: Surrexérunt fílii ejus, et ditáti sunt. Modo in paupertáte ví-

vimus, in paupertáte vigilámus: et cum mórimur, in paupertáte dormímus: sed surgémus et ditábimur. Quæ illæ divítiæ sunt Angelórum? unam vestem habent lucis: numquam téritur, numquam sordidátur. Si fílius es mulíeris hujus, atténde quando tibi divítiæ promittántur. Surrexérunt fílii ejus, et ditáti sunt, paráti resurrectiónis divítias accípere. Noli has amáre, ut mereáris ad illas veníre.

℟. Dilexísti justítiam, et odísti iniquitátem: * Proptérea unxit te Deus, Deus tuus, óleo lætítiæ. ℣. Propter veritátem, et mansuetúdinem, et justítiam. - Proptérea.

Lectio vi

Et vir ejus laudávit eam. Multæ, inquit, fíliæ fecérunt poténtiam. Laudes sunt, quibus eam laudat vir ejus. Quæ fíliæ, quibus hæc comparátur? Non comparátur. Tu autem superásti. Atténdite, rogo vos, jam in fine lectiónis sumus. Multæ fíliæ fecérunt poténtias, multæ locútæ sunt linguis, sciérunt ómnia sacraménta, fecérunt virtútes multas, dæmónia exclusérunt, res suas paupéribus distribuérunt, córpora sua ígnibus tradidérunt: inflátæ sunt, quia caritátem non habuérunt. Tu autem superásti et superposuísti omnes, non solum flore, sed et fructu grávida abúndans. Date illi de frúctibus mánuum suárum. Quid date? Veníte, benedícti Patris mei. De quibus frúctibus mánuum ejus? Esurívi enim, et dedístis mihi manducáre. Et quod illi deínde negótium erit, finítis labóribus? Et laudétur in portis vir ejus. Ipse erit portus labórum nostrórum, vidére Deum, laudáre Deum.

℟. Fallax grátia, et vana est pulchritúdo: * Múlier timens Deum, ipsa laudábitur. ℣. Date ei de fructu mánuum suárum, et laudent eam in portis ópera ejus. - Múlier. - Glória Patri. - Múlier.

In III Nocturno

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthæum

Lectio vii C. 13, 44-52

In illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis parábolam hanc: Símile erit regnum cælórum thesáuro abscóndito in agro. Et réliqua.

Homilía sancti Augustíni Epíscopi

Quæstio ex Matth., quæstio 16

Ideo omnis scriba doctus in regno cælórum símilis est hómini patrifamílias, qui profert de thesáuro suo nova et vétera. Utrum ista conclusióne expónere vóluit, quem díxerit thesáurum in agro abscónditum? Quóniam sanctæ Scriptúræ intelligúntur, quæ nómine duórum testamentórum novi et véteris concludúntur: quemádmodum apud álium Evangelístam, gládium bis acútum tali conclusióne vidétur expónere.

℟. Os suum apéruit sapiéntiæ, et lex cleméntiæ in lingua ejus: considerávit sémitas domus suæ, * Et panem otiósa non comédit. ℣. Gustávit et vidit quia bona est negotiátio ejus: non exstinguétur in nocte lucérna ejus. - Et.

Lectio viii

An quia in parábolis ista locútus est, et cum quæsísset ab eis, utrum intellexíssent, respondérunt, se intellexísse? Fortásse ista similitúdine última patrisfamílias proferéntis de thesáuro suo nova et vétera osténdere vóluit, eum doctum habéndum esse in Ecclésia, qui étiam scriptúras véteres parábolis explicátas intelléxit, ab istis novis accípiens régulas: quia et ista Dóminus per parábolas enuntiávit, quamvis ipse Christus esset finis illórum; idest, ut in eo illa vétera compleréntur.

℟. Regnum mundi, et omnem ornátum sæculi contémpsi, propter amórem Dómini mei Jesu Christi: * Quem vidi, quem amávi, in quem crédidi, quem diléxi. ℣. Eructávit cor meum verbum bonum: dico ego ópera mea

Regi. - Quem. - Glória Patri. - Quem.

Pro S. Silvestro:

Lectio ix

Silvéster, Auxími in Picéno nóbili génere ortus, puerílem ætátem lítteris ac bonis móribus mirífice exornávit. Sacris lítteris rite imbútus, et canónicus factus, exémplo et sacris conciónibus pópulo opem tulit. Inter funus nóbilis cujúsdam defúncti, in apérto túmulo formósi viri suíque propínqui defórme cadáver conspíciens: Ego, inquit, sum quod hic fuit; quod hic est, ego ero. Et mox in solitúdinem, majóris perfectiónis stúdio secéssit, ibíque vigíliis, oratiónibus, jejuniísque déditus fuit. Ut autem magis latéret hómines, várias mutávit sedes, ac tandem ad montem Fanum, locum eo témpore desértum, in honórem sancti Benedícti templum eréxit, congregationísque Silvestrinórum fundaménta jecit. Ibi mira sanctitáte mónachis præfúlsit; spíritu prophetíæ, potestáte in dæmones, aliísque donis enítuit, quæ semper profúnda humilitáte conservávit. Obdormívit in Dómino, anno salútis millésimo ducentésimo sexagésimo séptimo. Te Deum.

In Laud. fit Com. S. Silvestri: Ant. **Euge,** ℣. **Justum.**

Deinde Com. S. Petri: Ant. **Qui odit,** ℣. **Justus.**

In II Vesp. fit Com. S. Silvestri : Ant. **Hic vir,** ℣. **Justum.**

—✳—

Die 27 Novembris

Neo-Carthagine :

De III die infra Oct. S. CATHARINÆ

Semiduplex

Ant. **Veni, sponsa,** ℣. **Spécie**, Oratio **Deus, qui dedísti.**

In II Noct. Lectiones **Sermo S. Ambrósii: Quóniam hódie natális,** de Comm.

In III Nocturno

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthæum

Lectio vii C. 25, 1-13

In illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis parábolam hanc: Símile erit regnum cæ-

lórum decem virginibus, quæ accipiéntes lámpades suas, exiérunt óbviam sponso et sponsæ. Et réliqua.

De Homilía sancti Gregórii Papæ

Homilia 12 in Evang.

Notándum vero, quod omnes lámpades habent, sed omnes óleum non habent: quia plerúmque bona in se ópera cum eléctis et réprobi osténdunt: sed soli ad sponsum cum óleo véniunt, qui de his, quæ foris égerint, intus glóriam requirunt. Unde per Psalmístam quoque de sancta electórum Ecclésia dícitur: Omnis glória ejus fíliæ regis ab intus. Dormitavérunt omnes et dormiérunt. Dormíre, mori est: ante somnum vero dormitáre, est ante mortem a salúte languéscere: quia per pondus ægritúdinis pervenítur ad somnum mortis.

℟. Hæc est Virgo sápiens, quam Dóminus vigilántem invénit, quæ accéptis lampádibus sumpsit secum óleum: * Et veniénte Dómino, introívit cum eo ad núptias. ℣. Média nocte clamor factus est: Ecce sponsus venit, exíte óbviam ei. - Et.

Lectio viii

Quid est autem, quod fátuæ a prudéntibus óleum petunt, nisi quod in advéntu Júdicis, cum se intus vácuas invénerint, testimónium foris quærunt? Ac si a sua fidúcia decéptæ próximis dicant: Quia nos quasi sine ópere repélli conspícitis, dícite de nostris opéribus, quod vidístis. Unde et prudéntes per increpatiónem subdunt: Ite pótius ad vendéntes, et émite vobis. Venditóres quippe ólei, adulatóres sunt. De quo profécto óleo Psalmísta dicit: Oleum autem peccatóris non impínguet caput meum.

℟. Média nocte clamor factus est: * Ecce sponsus venit, exíte óbviam ei. ℣. Prudéntes Vírgines, aptáte vestras lámpades. - Ecce. - Glória Patri. - Ecce.

Lectio ix

O si sápere in cordis paláto possit, quid

admiratiónis hábeat, quod dícitur: Venit sponsus; quid dulcédinis: Intravérunt cum eo ad núptias; quid amaritúdinis: Et clausa est jánua! Pensáte, fratres caríssimi, ante conspéctum tanti júdicis, quis in illo die terror erit, quando jam in pœna remédium non erit; quanta vero tunc erit electórum lætítia, qui de ejus meréntur visióne gaudére, de cujus conspéctu vident et eleménta ómnia contremíscere; cum eo simul ad núptias intráre, qui et in sponsi núptiis gaudent, et tamen ipsi sunt sponsa: quia in illo ætérni regni thálamo visióni nostræ Deus conjúngitur. Te Deum.

—✳—

Die 28 Novembris

Neo-Carthagine:

De IV die infra Oct. S. CATHARINÆ

Semiduplex

In II Nocturno

Sermo sancti Ambrósii Epíscopi

L. 1 de Virg. ante med.

Lectio iv

Ego licet laudatiónem non suscéperim virginitátis, sed expressiónem; ad rem tamen pertinére árbitror, ut quæ sit ei pátria, quis auctor, appáreat. Ac prius ubi sit pátria, definiámus. Si enim ibi est pátria, ubi genitále domicílium; in cælo profécto est pátria castitátis: ítaque hic ádvena, ibi íncola est. Quid autem est cástitas virginális, nisi expers contagiónis intégritas? Atque ejus auctórem quem póssumus existimáre, nisi immaculátum Dei Fílium, cujus caro non vidit corruptiónem, divínitas non est expérta contagiónem?

℞. Propter veritátem, et mansuetúdinem, et justítiam: * Et dedúcet te mirabíliter déxtera tua. ℣. Spécie tua et pulchritúdine tua inténde, próspere procéde, et regna. - Et dedúcet.

Lectio v

Vidéte ígitur, quanta virginitátis mérita sint. Christus ante vírginem, Christus ex vírgine; a Patre quidem natus ante sæcula, sed ex vírgine natus ob sæ-

cula. Illud natúræ suæ, hoc nostræ utilitátis est. Illud erat semper, hoc esse vóluit. Spectáte áliud virginitátis méritum. Christus virgo vírginis sponsus, et si dici potest, Christus virgíneæ castitátis. Virgínitas enim Christi, non virginitátis est Christus. Virgo est ergo, quæ nupsit, virgo quæ nos suo útero portávit, virgo quæ génuit, virgo quæ próprio lacte nutrívit. Sed jam a matre descendámus ad fílias.

℟. Dilexísti justítiam, et odísti iniquitátem: * Proptérea unxit te Deus, Deus tuus, óleo lætítiæ. ℣. Propter veritátem, et mansuetúdinem, et justítiam. - Proptérea.

Lectio vi

De virgínibus, inquit Apóstolus, præcéptum Dómini non hábeo, consílium autem do. Si Doctor géntium non hábuit, habére quis pótuit? Et præcéptum quidem non hábuit, sed hábuit exémplum: non enim imperári potest virgínitas, sed optári. Nam quæ supra nos sunt, in voto magis quam in magistério sunt. Sed volo vos, inquit, sine sollicitúdine esse: nam qui sine uxóre est, sollícitus est, quæ Dómini sunt, quómodo pláceat Deo. Et virgo cógitat quæ Dómini sunt, ut sit sancta córpore et spíritu. Non ego quidem dissuádeo matrimónium, sed virginitátis attéxo benefícium.

℟. Afferéntur Regi vírgines post eam, próximæ ejus * Afferéntur tibi in lætítia et exsultatióne. ℣. Spécie tua et pulchritúdine tua inténde, próspere procéde, et regna. - Afferéntur tibi. - Glória Patri. - Afferéntur tibi.

In III Nocturno

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthæum

Lectio vii C. 25, 1-13

In illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis parábolam hanc: Símile erit regnum cælórum decem virgínibus, quæ accipiéntes lámpades suas, exiérunt óbviam sponso et sponsæ. Et réliqua.

Homilía sancti Hierónymi Presbyteri

Lib. 4 in Matth. c. 25

Hanc parábolam quidam simplíciter in virgínibus interpretántur; quarum áliæ, juxta Apóstolum, et córpore et mente sunt vírgines, áliæ virginitátem tantum córporum reservántes, vel cétera ópera non habent propósito suo simília; vel paréntum custódia reservátæ, nihilóminus mente nupsérunt. Sed mihi vidétur ex superióribus álius sensus esse, qui dícitur; et non ad virginália córpora, sed ad omne hóminum genus comparátio pertinére.

℟. Hæc est Virgo sápiens, quam Dóminus vigilántem invénit, quæ accéptis lampádibus sumpsit secum óleum: * Et veniénte Dómino, introívit cum eo ad núptias. ℣. Média nocte clamor factus est: Ecce sponsus venit, exíte óbviam ei. - Et.

Lectio viii Post pauca

Qui idcírco omnes vírgines appellántur, quia gloriántur in uníus Dei notítia, et mens eórum idololatríæ túrbine non constuprátur. Oleum habent Vírgines, quæ juxta fidem, et opéribus adornántur. Non habent óleum, quæ vidéntur símili quidem fide Dóminum confitéri, sed virtútum ópera négligunt. Póssumus quinque vírgines sapiéntes et stultas quinque sensus interpretári, quorum álii festínant ad cæléstia, et supérna desíderant: álii terrénis fæcibus inhiántes, foménta non habent veritátis, quibus sua corda illúminent.

℟. Média nocte clamor factus est:* Ecce sponsus venit, exíte óbviam ei. ℣. Prudéntes Vírgines, aptáte vestras lámpades. - Ecce. - Glória Patri. - Ecce.

Si hodie fuerit Sabbatum ix Lectio de Homilia Vigiliæ anticipatæ S. Andreæ Ap. et fit ejus Com. in Laud., alias

Lectio ix

Dicámus áliquid, quod fórsitan lectóri útile sit. Tradítio Judæórum est, Chri-

stum média nocte ventúrum in similitúdinem Ægyptii témporis, quando Pascha celebrátum est, et exterminátor venit: unde reor, et traditiónem Apostólicam permansísse, ut in die Vigiliárum Paschæ ante noctis dimídium, pópulum dimíttere non líceat, exspectántes advéntum Christi: et postquam illud tempus transíerit, securitáte præsúmpta, festum cunctos ágere diem. Tunc surrexérunt omnes vírgines illæ. Quæ lámpades suas querúntur exstíngui, osténdunt eas ex parte lucére: et tamen non habent lumen indefíciens, nec ópera perpétua. Te Deum.

Vesp. de Oct., Com. S. Saturnini Mart.

—✳—

Die 29 Novembris

Neo-Carthagine:

De V die infra Oct. S. CATHARINÆ

Semiduplex

Pro Com. S. Saturnini: Ant. Iste sanctus, ℣. Glória, Oratio Deus, qui nos, ut in Propr. Sanctorum.

In II Nocturno

Sermo sancti Máximi Epíscopi

In Natali S. Agnetis

Lectio iv

Cum in toto mundo virgíneus flos Maríæ immarcescíbiles corónas innéctat, et sceptrígeram pudóris aulam immaculáto consérvet afféctu, eoúsque intégritas perseverávit ad palmam, ut in puéllis trophæum sanctitátis arríperet, et per vestígia matris vírginis ad cæléstem thálamum pervéníret. O quam imitábile virgínibus, virgo Catharína, tui amóris tradidísti exémplum! o quam sanctum pectóribus dandum virgíneis tribuísti respónsum, contemnéndo mundi divítias, exsecrándo carnis concupiscéntias, et solam Christi pulchritúdinem adamándo! Accédite ad puéllam puéllæ, et díscite quales in péctore suo circa amórem Christi flammas accéndit. Díscite, vírgines Christi, amórem in ea fervéntem, et omnes mundi

divítias velut stércora recusántem.

℟. Propter veritátem, et mansuetúdinem, et justítiam:* Et dedúcet te mirabíliter déxtera tua. ℣. Spécie tua et pulchritúdine tua inténde, próspere procéde, et regna. - Et.

Lectio v

Ideo enim sanctórum per lítteras tradúntur exémpla, ut unusquísque pro qualitáte sexus modum sui propósiti téneat; et sicut per vírginem vírgines, ita per cónjugem cónjuges víncere sæculum pro Christi amóre stúdeant; ac repugnatióne ánimi mundi dúlcia recusántes, et ejus non recusántes austéra, ad delectatiónes perpétuas et ad gáudia ætérna pertíngant. Hæc dicéntes, non vituperámus cónjugum casta commércia, sed vírginum perseverántiam adornámus. Non enim virgínitas malis rebus superponénda est, sed est rebus óptimis præferénda. Quæ enim mundis múndior, et sanctis est sánctior, non índiget malárum rerum vituperatióne laudári.

℟. Dilexísti justítiam, et odísti iniquitátem: * Proptérea unxit te Deus, Deus tuus, óleo lætítiæ. ℣. Propter veritátem, et mansuetúdinem, et justítiam. - Proptérea.

Lectio vi

Veni jam, virgo, ad thálamum quem quæsísti, ut sponsam te virgínitas immaculáta cómprobet Christi. Felix catérva vírginum, quibus stúdium est tuæ sequi confessiónis vestígia. Habébunt enim tecum corónam in cælo, quæ tecum superavérunt inimícum in mundo. Nam sicut tibi vestígia prosequénti participátio ætérnæ remuneratiónis appáruit; ita eis te imitántibus ætérna crédimus gáudia non negánda. Itaque, o spléndida Christo Dei Fílio, et ómnibus Angelis atque Archángelis grata, ut nostri meminísse dignéris, quibus póssumus précibus exorámus; ut nobis ille tríbuat indulgéntiam, qui tibi tuórum óm-

nium labórum trádidit palmam.

℟. Afferéntur Regi vírgines post eam, próximæ ejus * Afferéntur tibi in lætítia et exsultatióne. ℣. Spécie tua et pulchritúdine tua inténde, próspere procéde, et regna. - Afferéntur tibi. - Glória Patri. - Afferéntur tibi.

In III Nocturno

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthæum

Lectio vii C. 25, 1-13

In illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis parábolam hanc: Símile erit regnum cælórum decem virgínibus, quæ accipiéntes lámpades suas, exiérunt óbviam sponso et sponsæ. Et réliqua.

Homilía sancti Joánnis Chrysóstomi

Homilia 79 in Matth. post init.

Quam ob causam in persóna vírginum hanc parábolam profert, nec qualemcúmque persónam sine discrímine súbjicit? Magna quædam de virginitáte disserúerat, dicens: Sunt eunúchi, qui seipsos castravérunt propter regnum cælórum: et, Qui potest cápere, cápiat. Nec ignorábat, de virginitáte magnam esse vulgo existimatiónem, quippe cum sit ea res natúra sublímis: quod inde patet, quia neque in véteri Testaménto a priscis illis sanctísque viris culta fuit, et in novo nulla legis necessitáte jubétur: non enim id imperávit, sed fidélium voluntáti permísit. Unde et Paulus ait: De virgínibus autem præcéptum Dómini non hábeo; et laudo quidem eum, qui hoc sectátur institútum, noléntem autem non cogo, neque eam rem præcéptum fácio.

℟. Hæc est Virgo sápiens, quam Dóminus vigilántem invénit, quæ accéptis lampádibus sumpsit secum óleum: * Et veniénte Dómino, introívit cum eo ad núptias. ℣. Média nocte clamor factus est: Ecce sponsus venit, exíte óbviam ei. - Et.

Lectio viii

Quóniam igitur et magna res erat, ac

le ea apud multos ma-gna erat existimátio; ne quis ea perfécta se totum perfecísse putá-ret, ac cétera neglíge-ret, hanc parábolam pósuit, ut osténderet, virginitátem, quamvis cétera hábeat, si mise-ricórdiæ bonis carúe-rit, cum fornicatóribus éjici. Ac mérito qui-dem inhumánum ac misericórdia caréntem cum illis cóllocat. For-nicátor enim córpo-rum, istæ vero pecu-niárum cupiditáte vin-cúntur. Non est autem córporum et pecúniæ par cupíditas: sed á-crior multo atque ve-heméntior illa córpo-rum est. Quanto ígitur cum imbecillióre lu-ctántur, tanto minus vénia dignæ sunt, si vincántur. Idcírco ét-iam fátuas appellávit: quóniam majóri certá-mine superáto, in faci-lióre totum perdidé-runt.

℟. **Média nocte clamor factus est: * Ecce sponsus venit, exíte óbviam ei.** ℣. **Prudéntes Vírgines, aptáte vestras lámpades. - Ecce. - Glória Patri. - Ecce.**

Lectio ix de Homilia Vigiliæ S. Andreæ.

In Laud. Com. Vigil. ac S. Saturnini : Ant. **Qui odit,** ℣. **Justus.**

Vesperæ de seq. sine Com.

—⁎—

Die 1 Decembris

Neo-Carthagine :

De VII die infra Oct. S. CATHARINÆ

Semiduplex

In II Nocturno

Tres Lectiones S. Cypriani: **Nunc nobis ad vírgines,** ut in Comm. Virginum 2 loco.

In III Nocturno

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthæum

Lectio vii C. 25, 1-13

In illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis parábolam hanc: Símile erit regnum cælórum decem virgínibus, quæ accipiéntes lámpades suas, exiérunt óbviam sponso et sponsæ. Et réliqua.

De Homilía sancti Joánnis Chrysóstomi

Unde supra

Post ingéntes labóres, post incredíbiles sudóres et acérri-

mas pugnas, post trophæa, quæ de natúræ rábie statuérunt, resúrgunt cum dedécore, et lampádibus eárum exstínctis, terram aspiciéntes recédunt. Nihil sane tenebrósius est, quam virgínitas óleo carens: unde sic vulgo multi immisericórdes tenebrósos solent appelláre. Quid ígitur ex virginitáte lucrátæ sunt, quæ nec sponsum quidem vidérunt, nec saltem ad pulsándum usque pervenérunt, sed terríbile illud verbum audivére: Abíte, néscio vos?

℟. Hæc est Virgo sápiens, quam Dóminus vigilántem invénit, quæ accéptis lampádibus sumpsit secum óleum: * Et veniénte Dómino, introívit cum eo ad núptias. ℣. Média nocte clamor factus est: Ecce sponsus venit, exíte óbviam ei. - Et.

Lectio viii

Quod cum ipse díxerit, nihil áliud quam gehénna et intolerábilis cruciátus relínquitur: immo vero étiam, gehénna, istud verbum grávius est: hoc verbum operántibus étiam iniquitátem dixit: Vigiláte, quia nescítis diem neque horam: crebro id répetit, ut ignorántiam éxitus ab hac vita útilem esse osténdat. Ubi sunt ergo qui per totam vitam desídia torpéscunt, et quando a nobis admonéntur, respondére non dúbitant, ómnia se paupéribus moriéndi témpore relictúros?

℟. Média nocte clamor factus est: * Ecce sponsus venit, exíte óbviam ei. ℣. Prudéntes Vírgines, aptáte vestras lámpades. - Ecce. - Glória Patri. - Ecce.

Lectio ix

Audiant hæc verba, et eméndent se: multi enim abeúndi tempus exspectántes, ita repénte rapti sunt, ut nec injúngere suis quidquam potúerint. Sed hæc quidem parábola ejus eleemósynæ grátia, quæ cum pecúnia confícitur, dicta est. Cur autem hæc parábola sponsum addúcit? Ut vídeas quantum virgínibus Christus affícitur iis, quæ

sua paupéribus érogant, hæc enim et vera virgínitas est. Nam et Paulus huic rei hanc descriptiónem attríbuit dicens: Innúpta sollícita est de iis, quæ Dómini sunt, ut sit sancta córpore et spíritu.

Te Deum laudámus.

Vesperæ de seq. die Octava, Com. S. Bibianæ Virg. et Mart.

—✳—

Die 2 Decembris

Neo-Carthagine:

In Octava S. CATHARINÆ

Virginis et Martyris

Duplex majus

In I Vesp. fit Com. S. Bibianæ: Ant. **Símile est,** ℣. **Diffúsa,** Oratio **Deus, ómnium.**

In II Nocturno

De Epístola sancti Hierónymi Presbyteri ad Eustóchium

De custod. Virg. t. 1 circa medium

Lectio iv

De virgínibus, inquit Apóstolus, præcéptum Dómini non hábeo. Cur? quia et ipse ut esset virgo, non fuit impérii, sed própriæ voluntátis. Neque enim audiéndi sunt, qui eum uxórem habuísse confíngunt; cum de continéntia dísserens, et suádens perpétuam castitátem, intúlerit: Volo autem omnes esse sicut meipsum. Et infra: Dico autem innúptis et víduis: Bonum est illis, si sic permáneant, sicut et ego. Quare ergo non habet Dómini de virginitáte præcéptum? Quia majóris est mercédis, quod non cógitur et offértur: quia si fuísset virgínitas imperáta, núptiæ videbántur ablátæ; et duríssimum erat contra natúram cógere, Angelorúmque vitam ab homínibus extorquére.

℟. **Propter veritátem, et mansuetúdinem, et justítiam: * Et dedúcet te mirabíliter déxtera tua.** ℣. **Spécie tua et pulchritúdine tua inténde, próspere procéde, et regna. - Et.**

Lectio v

Alia fuit in véteri lege felícitas. Ibi dícitur: Beátus, qui habet semen in Sion, et domésticos in Jerú-

salem; et: Maledícta stérilis, quæ non pariébat; et: Fílii tui sicut novéllæ olivárum in circúitu mensæ tuæ. Vácuus erat orbis, et, ut de typicis táceam, sola erat benedíctio liberórum. Proptérea et Abraham jam senex Cethúræ copulátur, et Jacob mandrágoris redímitur, et conclúsam vulvam in Ecclésiæ figúram Rachel conquéritur. Paulátim vero increscénte ségete, messor immíssus est. Virgo Elías, Eliséus virgo, vírgines multi fílii Prophetárum. Jeremíæ dícitur: Et tu ne accípias uxórem. Sanctificátus in útero, captivitáte propínqua, uxórem prohibétur accípere. Aliis verbis idípsum Apóstolus lóquitur: Exístimo hoc bonum esse propter instántem necessitátem. Quæ est ista necéssitas, quæ aufert gáudia nuptiárum? Tempus breviátum est, in próximo est Nabuchodónosor.

℟. Dilexísti justítiam, et odísti iniquitátem: * Proptérea unxit te Deus, Deus tuus, óleo lætítiæ. ℣. Propter veritátem, et mansuetúdinem, et justítiam. - Proptérea.

Lectio vi

Inveniebátur ergo, ut díximus, in viris tantum hoc continéntiæ bonum, et in dolóribus júgiter Heva parturiébat. Postquam vero virgo concépit in útero, et péperit nobis púerum, cujus principátus in húmeros ejus, Deum, fortem, patrem futúri sæculi, solúta maledíctio est. Mors per Hevam, vita per Maríam. Ideóque et dítius virginitátis donum fluxit in féminas, quia cœpit a fémina. Statim ut Fílius Dei ingréssus est super terram, novam sibi famíliam instítuit, ut qui ab Angelis adorabátur in cælo, habéret Angelos et in terris. Tunc Holoférnis caput Judith cóntinens amputávit: tunc Aman, qui interpretátur iníquitas, suo combústus est igni: tunc primum audítum est: Quæ non est nupta, cógitat quæ sunt Dómini, ut sit

sancta córpore et spíritu.

℟. Afferéntur Regi vírgines post eam, próximæ ejus * Afferéntur tibi in lætítia et exsultatióne. ℣. Spécie tua et pulchritúdine tua inténde, próspere procéde, et regna. - Afferéntur tibi. - Glória Patri. - Afferéntur tibi.

In III Nocturno

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthæum

Lectio vii C. 25, 1-13

In illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis parábolam hanc: Símile erit regnum cælórum decem virgínibus: quæ accipiéntes lámpades suas, exiérunt óbviam sponso et sponsæ. Et réliqua.

Homilía sancti Augustíni Epíscopi

Sermo 23 de Verbis Domini, cap. 8

Inténdat ítaque cáritas vestra. Sapiéntium lámpades ardébant de óleo ætérno, de consciéntiæ securitáte, de interióre glória, de íntima caritáte. Ardébant tamen et illárum fatuárum. Quare tunc ardébant? quia non déerant laudes hóminum. Póstea vero quam surrexérunt, idest in resurrectióne a mórtuis, cœpérunt aptáre lámpades suas, idest paráre, Deo óperum suórum réddere ratiónem. Et quia tunc nemo est qui laudet, omnis homo causæ suæ vacat: non erant qui óleum vénderent, cœpérunt defícere lámpades.

℟. Hæc est Virgo sápiens, quam Dóminus vigilántem invénit, quæ accéptis lampádibus sumpsit secum óleum: * Et veniénte Dómino, introívit cum eo ad núptias. ℣. Média nocte clamor factus est: Ecce sponsus venit, exíte óbviam ei. - Et.

Lectio viii

Circa finem, cap. 10

Clausum est óstium. Et quid illis dictum est: Non novi vos. Non illas novit, qui ómnia novit? Quid ergo est: Non novi vos? Improbo vos, réprobo vos: in arte mea non vos agnósco: ars mea nescit vítia. Hoc est autem magnum, et nescit vítia, et júdicat vítia: ne-

scit faciéndo, júdicat arguéndo. Sic ergo non novi vos. Iérunt, intravérunt quinque prudéntes. Sint in vobis quinque prudéntes, ad istam prudéntiam quinárii númeri pertinéntes. Véniet enim hora, et quando nescímus, véniet. Sic clausit Evangélium: Vigiláte, quia nescítis diem neque horam.

℟. Média nocte clamor factus est: * Ecce sponsus venit, exíte óbviam ei. ℣. Prudéntes Vírgines, aptáte vestras lámpades. - Ecce. - Glória Patri. - Ecce.

Pro S. Bibiana:

Lectio ix

Bibiána virgo Romána, nóbili génere nata, christiána fide nobílior fuit. Ejus enim paréntes, Flaviánus et Dafrósa, sub Juliáno Apóstata martyrium subiérunt. Tum Bibiána ejúsque soror Demétria, bonis ómnibus exspoliátæ et ab Aproniáno, Urbis prætóre, blandítiis et minis tentátæ, ut a recta fide declinárent, prætóris impietátem constantíssime detestátæ sunt. Quo in agóne Demétria ob óculos Bibiánæ repénte córruens, óbiit in Dómino: Bibiána autem Rufínæ mulíeri vaférrimæ seducénda tráditur; sed ejus superátis insídiis, prætóris astus delúsit. Quare hujus jussu plumbátis cæsa est, donec ánimam efflávit. Ejus sacrum corpus, bíduo cánibus objéctum, illæsum tamen divínitus servátum, Joánnes présbyter sepelívit noctu juxta sepúlchrum soróris et matris ad palátium Liciniánum, ubi nunc exstat ecclésia Deo, sanctæ Bibiánæ nómine, dicáta.

Te Deum laudámus.

Ad Laudes fit Com. S. Bibianæ: Ant. Veni, sponsa, ℣. Spécie tua.

Vesp. de Dom. seq. (I Adv.) Com. præced., S. Francisci Xaverii Confess. ac S. Bibianæ (Ant. Veni, sponsa, ℣. Spécie).

Index alphabeticus